BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
68
4 B 1

68-4-B,1

Bibl. S. Pantaleo
de Schol. Piar.
ex lib. P. la Croix
à S. Franco
1772

PORTVGALLIA
Sive
DE REGIS PORTVGALLIÆ REGNIS ET OPIBVS Commentarius.



LVGD. BATAVOR.
Ex Officina Elzeviriana
cIɔ Iɔc XLI.

T1

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

III

INTRODVCTIO

Ad SEQUENTEM DE Regno Portugalliæ Commentarium.

LEPIDO commento prodidit Author Italus in Lydio lapide, ſemel quotannis in Parnaſſo, coram Apolline, Regum, Principum atque Rerum pub. hujus Chriſtiani orbis, potentiam in lancibus expendi. Id quum principio hujus anni quadrageſimi primi ſupra milleſimum ſexa-

centeſimum fieret, & vices ad Regem Hiſpaniarum perveniſſent, deprehendebatur ſupra tertiam partem ponderis ſuperioris anni deſiderari: mirari omnes, nulli autem magis quam qui Hiſpano impenſe favebant, aut quorum in ære erat: Philippus prudens quoque expalleſcere: præſertim quia cauſa tantæ mutationis latebat: neq; enim Catalonię & Barcinonenſis Comitatus defectio ſatis valida cauſa videbatur, & mutationis in Regno Portugalliæ factæ fama nondum ad Parnaſſum potuerat dimanare. Dum hærent Proceres & alii alios reſpiciunt, commodum ſuperve-

pervenit Secretarius Vaſconcellus adhuc ſanguine rubens & pulvere ſordidus, qui dubitationem omnem exemit. Ne autem quis miretur Portugalliam mutato Domino tam facile lancem potuiſſe ſurſum agere, de Regni illius Statu, opibus, & ad res mari præſertim gerendas opportunitate, compendio dicere inſtituimus, & pleraque expendere quæ ad rem faciunt, ex idoneis & fide dignis Authoribus petita. Hoc tantum præfati, Imperia quum jam in immenſum adolevere, & mole ſua laborare cœperunt, rurſus minui, & non raro quæ longo tempore floruerunt,

uno pene momento deficere, juſto Dei judicio, & occulta quadam Providentiæ divinæ moderatione. Monarchiarum omnium exempla fidem faciunt, ne miremur id etiam hodie accidere. Rex Caſtellæ & Legionis, multa quidem hæreditate adiit, quędam & connubiis crevit, plura tamen veris & legitimis Dominis per violentiam & fraudem abſtulit, quid mirum, ſi male parta male dilabantur? Non eſt tamen nobis propoſitum de jure hujus cauſæ diſputare aut judicare, pauca & parce ex magnorum virorum ſententia delibabimus.

Vul-

Vulgo tamen jam obtinet & creditur, potius jus videri poſſidentis: & licet rationibus & argumentis etiam in talibus cauſis agatur, tamen raro aliter quam armis deciditur: & nobis haud dubium eſt, Deum & dare & adimere Principibus imperia: & cito, tardeve res redire ad legitimum dominum & hæredem, ut jam credimus factum, & precamur ut Regi Ioanni quarto & ipſius poſteris, felix, fauſtum & diuturnum Portugalliæ regnum ſit.

68431

INDICULUS
Capitum.

I.

GEographica & Hydrographica deſcriptio generalis Regni Portugalliæ. pag. 1 & ſeqq.

II.

Ejuſdem deſcriptio particularior pag. 39

III.

Cœli ſolique qualitates, fruges & alia. p. 95. & ſeqq.

IV.

Indigenarum ingenia & mores. pag. 117

Regi-

V.

Regimen politicum & civile. Leges Regni Lameci latæ ſub Alfonſo Rege primo; & Olyſipponenſis civitatis regimen. a pag. 126.

VI.

De oppidis & provinciis quæ ad Regnum Portugalliæ pertinens in Africa & mari Atlantico. a pag. 154.

VII.

De oppidis & caſtris quæ Rex Portugalliæ poſſidet in Aſia atq; India. a p. 176

VIII.

Provinciæ & oppida in Braſilia. à pag. 191

X·I.

Series & ſucceſſio Regum Portugalliæ ſecundum diverſos authores. à pag. 199.

X.

De Succeſſione Regis Caſtellæ in Regnum Portugalliæ, & varia ſummorum virorum de ea judicia. à pag. 226

Nobi-

XI.

Nobiles familię Regni Portugalliæ, præcipue Magnatum ſeries. à p. 270

XII.

Regni cenſus & annui reditus, cæteraque potentiæ adjumenta; è variorum relatione. à pag. 292

XIII.

Pontifices & prælati Portugalliæ & eorum reditus annui. à pag. 342

XIV.

De Academiis & Scriptoribus

ribus maxime illuſtribus Luſitanis. à pag. 145

APPENDIX

In qua hæc continentur.

1.

LOcorum aliquot deſcriptio è Bibliotheca Hiſpan. à pag. 370

2.

De Ducatu Braganzæ è libro qui inſcribitur Theatrum Madriti. à pag. 374

De

3.

De Civitate Olyſippone notabilia quædam, ex eodem. à pag. 375

4.

De Soli qualitatibus è Reſendio, ſuperius omiſſa. à pag. 376.

5.

Manifeſtatio juris, cur Regnum Portugalliæ obedientiam Regi Caſtellæ negaverit & Sereniſſimum Reg. Ioannem clamaverit; ex Luſit

..o ſermone verſa. à pag. 3..

6.

Portugalliæ paræneſis ad Principes Chriſtianos, itidem è Portugallico verſa. à pag. 403

7.

Inſulæ Socatoræ brevis deſcriptio. pag. 444

8.

De Caſtello S. Georgii quod vulgo dicitur Mina. pag. 452

9.

De Quiloa. pag. 452

10.

De Monbaza. pag. 454

11.

De Dio Caſtello. pag. 455

12.

De Cananore. pag. 457

13.

De Malacca. pag. 458

DE-

DESCRIPTIO REGNI PORTVGALLIÆ GEOGRAPHICA.

Generalis è L. Andreæ Reſendii Antiquitatibus Luſitanicis.

NON videbimur à ſcopo digredi, ſi noſtri quoque ævi Luſitanię terminos exponamus. Quanquam hi magis Regni totius, quàm unius Luſitaniæ dicendi ſunt. Protenditur enim regnum ultra Durium à Septentrione, Callaicos continens Bracaros, non modo eos, qui intra Durium Miniumque, monteſque Ureſſum

atque Maranum clauduntur, ſed qui ultra eos montes per Aquiflavienſes, Tamacanos & reliquos, qui ad Bracarauguſtanũ pertinent Cõventum. Et deinceps per aliquot Aſturum olim populos aſcendit uſq; ad Saborem fluvium, oppidumque Sotellum. Vnde reſiſtens convertitur limes ad Orientem per Mirandam urbem ex adverſo Camore Durio impoſitum, ubi introrſus ad Septentrionem curvatur amnis, excipitque Eſtulam fluvium è Legionenſi agro defluentem. Ex eaque urbe prono flumine deſcendit flexu modico uſque ad Fraxinum. Hinc per Tranſcudanorum, Vettonumque aliquot populos recto fere margine percurrit ad oppidum Salvaterram: rurſumque reducitur majore interius angulo ad Tagi ingreſſum: à quo recto iterum limite procedit, donec paulo ſupra Ouguellam oppidum ad Anam
ſe in-

ſe inclinat: per Caiæ & Caiolæ confluentes quatuor circiter paſſuum millibus à Badioza inſigni Bæticæ provinciæ urbe Anæ ipſi appoſita.

Trajecto inde flumine ad Auſtrum verſus, ex Bæticis Celticis, qui Luſitaniam attingunt, oppida complectitur memorabilia, Oliventiam, Moionem, Mauram, Seipam, non longe ab amne diſſita, & Mortiganum ac Noudar caſtella magis in Bæticam penetrantia, ad fontes uſque Ardillæ & Xanthiæ non magni nominis fluviorum, præter vicos ignobiles quoſdam. Atque hæc quidem, quam circumſcripſimus, regio ſeculi noſtri more Portugalliæ regnum appellatur.

Id totum, quod *Portugalliam* dicimus, *Luſitaniæ* propriæ ac veræ partes duas continet, & ex Tarraconenſi Provincia Bracaros, ultraque montes Maranum atque

Jureſſum, Aſturum nonnullos & aliquot ex Vettonibus, acceſſionemq; ultra Anam, quã diximus.

Generalis deſcriptio ſecundum oram maris è tabulis Hydrographicis.

Vt Regni hujus amplitudo melius cognoſceretur, haud abs re viſum hic inſerere longitudinem ejus ſecundum oram maritimam. A *Camina* ad *Vianam* numerantur milliaria quinq; ab Arcto verſus Auſtrum; oppidulum autem illud ſitum eſt ad arctoam ripam fluvioli quem vulgo vocant *Rio de Limas*, cujus oſtium peranguſtum eſt & haud adeundum ſine perito nauclero. A *Viana* ad *Villam del conde* totidem ſunt milliaria, ſitam ad maris ſinum, qui hic in continentem irrumpit. A *villa del conde* ad *Port à Port* ſunt itidem quinque milliaria: oppidum hoc ſitum eſt ad arctoam ripam fluvii Durii qui hic erumpit in mare, habetque

betque arcem ſuper oſtium fluvii ad mare. A *Port à Port* ad *Avero* numerant octo miliaria. Ab *Auero* ad promontorium quod vulgo vocant *de Mondego*, numerant milliar. quinque; à quo verſus Auſtrum uno milliari diſtat fluvius *Mondego* cum Piſſage. A promontorio autem jam dicto ad Peniche ſunt octo milliaria, aut ad rupes quas vulgo vocant Barrils, novem aut decem: Et ab his porro ad Promontoriũ *Roxent* duodecim, pone quod unius milliaris intervallo ſitum eſt Caſcais, ad Tagum flumen, ad cujus arctoam ripam ſita eſt metropolis Oliſipo.

A Promontorio *Roxent* ad proximum promontorium quod vulgo vocāt *de Spichel* octo milliaria: ora cubito ſe flectente verſus Euro*auſtrum*. Poſt hoc Oceanus maximo ſinu irrumpit in continentem verſus oppidum *Setural* ſalinis nobile, & ſe retroagens ingenti cu-

bito ſe flectit verſus Promontorium nobiliſſimum *S. Vincentii*; inter utrumq; interſunt milliaria duo & viginti ; quo intervallo nulli notabiles portus interiacent.

A Promontorio *S. Vincentii* ad proximum terræ angulum quem vocant Promontorium *S. Mariæ* aut *de faro*, ora convertitur verſus Ortum ; intervallum inter utrumque eſt quatuor decem aut quindecim milliarium. Interiacent duo oppidula *Lagos* & *Villa nova*, quæ ad Regnum Algarbiæ pertinent.

A Promontorio *S. Mariæ* ad *Tavilam* ſunt milliaria quatuor: & ab illa totidem ad *Aymonte* primum oppidum ejus *Provinciæ* quam vulgo vocant *El Condado*.

Ita ut in univerſum ſecundum oram Oceani in longitudinem colligantur milliaria duo aut tria ſupra centum, non habita curvaturarum ratione. Si autem placet & la-

& latitudines locorum intelligere, eæ ſecundum noſtrorum obſervationes ita ſe habent: Port à Port ad quadrageſimum & primum gradum ab Æquatore verſus Arctum.

A vero ad quadrageſimum & XXVI ſcrup.

Promontorium *Montego* ad quadrageſimum & VIII ſcrupul.

Rupes *Barrils* ad trigeſimum nonum & 40 ſcrupul.

Promontorium *Roxent* ad trigeſimum octavum & 52 ſcrupul.

Promontorium *Spichel* ad trigeſimum octavum & viginti quinque ſcrupul.

Promontorium S. Vincentii & S. Mariæ ad trigeſimum & ſeptimum gradum.

Portugalliæ regnum (inquit *Boterus*) ambitu ſuo complectitur octingenta ſeptuaginta novem milliaria, aut, ut alii volunt, quinquaginta ſupra octingenta; maxime ad oram maris ſita; longa

eſt trecenta viginti milliaria. lata ſexaginta.

Luſitania tertia Hiſpaniæ pars, hiſce finibus(inquit *Thuanus*) circumſcribitur, à Septentrione Durio flu.inde ab ipſius oſtio ad eum uſque pontem qui Septimancis adjacet; ab occaſu ea Atlantici maris parte, quæ Anæ & Durii oſtia intrat; à meridie Bætica; ab ortu provincia Tarraconenſi, quæ duæ reliquę Hiſpaniæ partes ſunt, clauditur; linea ab Oretanis ad eum pontem ducta cujus è regione Septimancæ ſitæ ſunt. Luſitania autem antiqua anguſtioribus atque adeo aliis limitibus, quam Portugallia nunc, continebatur, quippe quæ Ciſtaganam & Tranſtaganam, à Tago mediam perlabente, dictas regiones tantum olim complecteretur: nunc vero & interamnem & tranſmontanam, quæ ambæ olim Tarraconenſi attributæ ſunt, atque adeo

Bœticæ partem ambitu ſuo claudit.

Dividitur in duo regna, Algarbiam & Portugalliam: quarum illa ad meridiem, hæc ad ſeptentriones poſita eſt & linea imaginaria dividuntur. à Caſtello Odexera ad oceanum ſito ad Alcotim arcem ſuper Anam.

Algarbia continet quatuor civitates ſub uno Epiſcopatu, Tavilam, Lagos, Sylves & Faro: quarum Tavila & Lagos portus habent percommodos, ſuperato autem promontorio S. Vincentii, antiquis Sacro, portum inſuper habet Villænovæ præter alios minores.

Portugallia continet tres archiepiſcopatus. Bragæ, Oliſiponis, Eboræ. ſub quibus ſunt novem epiſcopatus. *Bracara* hodie *Braga*, in ea Portugalliæ parte quæ hodie interamnis dicitur, de primatu Hiſpaniç cum Toletana Ec-

cleſia certat, & indeciſa lis in hodiernum diem pendet; inquit *Nonius*.

Lamego, Viſeo, Porto, Miranda, Portalegre, Guarda, Leira, Eluas; *Braganza* licet non habeat Cathedralem Eccleſiam, civitatis tamen privilegio gaudet, ſub duce tam potenti & opulento, ut monſtri ſimile ſit in regno tam parvo, præter Regem, tam potentem & locupletem principem reperiri.

Santarenum (inquit *Nonius*) oppidum pervetuſtum Tagi ripis appoſitum, quinquageſimo ab Oliſipone lapide, in editiore colle ſitum: ager olei vinique maximè fœcundus, tritici feraciſſimus, & licet arctis limitibus concluſum ſit territorium, ingentes tamen tritici acervos fundit.

Portus habet nobiles, quorum primus *Setubal* viginti ab Oliſipone mill. verſus auſtrum, ad ſinum

num maris triginta milliaria longum, latum tria. 11 Setubal (inquit *Nonius*) urbs non incelebris, portu gaudet commodo & nobilium piſcium piſcatura abundat: accedit ingens candidiſſimi ſalis inexhauſta copia, ob inſignem toto ſinu ſalinarum frequentiam. Ager tritici vinique feraciſſimus.

Secundus, *Porto* quem Darius flu. aperit.

Famoſiſſimus Oliſiponenſis, quem Tagus efficit, qui quindecim aut viginti mill. maximis navibus aſcenditur. Vrbem paulo poſt deſcribam.

Ebora ſita eſt loco campeſtri, ſitu plane amœno; lata & porrecta eſt planicies, quæ impendentibus undique montibus clauditur, ipſi montes non inveſtes aut ſteriles, ſed denſis venuſtiſque nemoribus ornati: campi ſubjacentes fertiliſſimi & opimæ meſſis feraces; at tantæ felicitati ſolus amnis deficit.

cit. Archiepiſcopalem ſedem habet & nobilem Academiam. *Nonius.* Iacobus *Menœtius*, ambitu tria millia paſſuum quingent. quinquag. continere ſcribit. plures de illius antiquitatibus ſcripſerunt, quos adi tom. 2 Hiſpan.

Cæteræ civitates ſunt Coymbra cum Academia, urbs loco ſita amœniſſimo, in rupe undique olivarum ſylvis vinetiſque cincta, ad amnem vulgo Mondego dictum, qui duas urbis partes pulcherrimi operis ponte conjungit; diſtat autem à fluvii oſtio VIII. leuc.

Præter hæc (inquit *Boterus*) in Portugallia, qua caſtella, qua municipia muris cincta numerantur CCCC LXX. maxime inter Tagum & Minium ſita; nam pars regni inter Tagum & Anam raras habet habitationes & incolas paucos, quia magna ſui parte montoſa eſt & ſterilis: inter Durium autem & Minium frequentes quidem incolæ,

colæ, ſed pauperes & magis Galæcis ſimiles, quam Portugallis.

Portugalliæ plenior deſcriptio.

ANNO cIↃ IↃ cxx prodiit Oliſiponi deſcriptio regni Portugalliæ, vel potiſſimum urbis Oliſiponenſis authore *Nicol. de Olivera*, diligentiſſimo juxta & patriarum rerum ſcientiſſimo; qui quia patria lingua ſcripſit, obſcurior illius eſt liber & paucorum manibus teritur: Ex eo quæ maxime cognitu neceſſaria ſunt, excerpenda & vertenda duxi.

Regnum Portugalliæ longum eſt nonaginta leucas, latum quinquaginta. ambitu autem ſuo complectitur ducentas & octuaginta. Dividitur in ſex provincias; Prima vocatur *Alenteio*, id eſt, Tranſtagana reſpectu urbis Oliſiponenſis, & pertinet à Cimes pago ad civitatem Eluas, occupans totam regionem, quæ jacet inter Tagum

&

& Anam, & reliqua municipia cum pagis quæ trans Anam ſunt ab Alcoitim uſque ad Olivencam, inter quæ ſunt famoſa opidula Serpa & Moura. Pars hæc longa eſt leuc. XXXVI. lata XXXIV.

Secunda appellatur *Eſtremadura*, quæ ad mare quidem à Caſcais pertinet ad Mondego; intra continentem autem linea imaginaria clauditur ab Abrantes ad Coymbre pontem; tenetque in longitud. XXXV. leuc. in latitud. XVIII.

Tertia dicitur *Beira*, atque à Coymbra pertinet ad Guardam, continetque totam illam regionem quam vocant *Ribeira de Coa*; longa leuc. XXXIV. lata numerando ab Aveiro ad Tourones, XXXIII.

Quarta, inter Durium & Minium dicitur, pertingitque ab oppido Porto ad Valenciam ſuper Minium; longa leuc. XVIII, lata XII. ubi latiſſima; nonnuſquam tantum

tantum octo. Hæc licet ita exigua ſit, tamen centum triginta monaſteria habet opimis reditibus dotata; & mille quadringentas ſexaginta Eccleſias parochiales, præter Bracarenſem metropolitanam, & Epiſcopalem portuenſem, aliaſque collegiatas quinque. habet ultra quinque millia fontium perennium; & ducentos pontes e ſaxis fabricatos; & ſex maritimos portus.

Quinta appellatur *Transmontana*, pertinetque à flu. Tamaga, ad Epiſcopatum Mirandæ; longa xxx. leuc. lata xx.

Sexta *Regnum Algarbia*, quod à Ceixe pertingit ad Caſtromarinum, è regione Ayamontii: longa xxvii, leuc. lata viii. ubi longiſſima & latiſſima. patet itaque totum regnum in longitudinem ad oram quidem Oceani cxxxv. leucas, in mediterraneis vero cl. in latitudinem tantum quinquaginta;

ginta; longum enim eſt, ſed anguſtum.

Complectitur octodecim civitates & multa atque grandia oppida, quæ ſunt numero quadringenta & quatuordecim, quibus ſi addas ducenta & aliquot municipia eiſdem oppidis ſubjecta, efficiunt numerum ſexcentorum & ſupra tringinta oppidorum; neque deſunt alia loca, quæ vocant Aldeas, quæ ſunt infinita; nam ſolum oppidum Covilhaan ſub ſe complectitur ſupra trecentas & ſexaginta, quarum quædam ſunt majores ipſo oppido, quod tredecim habet parochias, quarum principalis intra muros ipſius continet ſexcentas familias. Civitatum denique tres ſunt archiepiſcopales, Oliſipo, Ebora & Braga ſive Bracara; novem Epiſcopales, Miranda, Porto, Coymbra, Lamego, Viſeu, Guarda, Portalegre, Eluas & Leiria; reliquæ quinque ſunt Braganca,

ganca, Beja, Tavira, Lagos, Fares & Sylves; quarum quatuor poſteriores ſunt in regno Algarviæ, & ſub uno Epiſcopatu comprehenduntur.

E Reſendii lib.2. de antiquitatib. Luſitaniæ.

MUltis fluminibus irrigatur Luſitania. Id ſilentio non præteriit Strabo. *Regio,* inquit, *de qua loquimur, felix eſt* & amnibus magnis & parvis irrigua. Qui omnes ab Oriente pariter disjuncti à Tago ſunt, & majori ex parte navigabiles: atque *Anæ, Tagi, Mundæ, Vaccæ, Durii, Avi, Limiæ ac Minii* tanta claritas eſt, ut in eis explicandis operam inſumere ſupervacuum videatur. Sunt tamen in ſingulis quædam peculiaria, quæ lectoribus, ut opinor, non injucunda ſunt futura. Veluti *Ana,* tanto flumini, cuniculis ſe totum condere non ſemel, alicubi inter-

cleſia certat, & indeciſa lis in hodiernum diem pendet; inquit *Nonius*.

Lamego, Viſeo, Porto, Miranda, Portalegre, Guarda, Leira, Eluas; *Braganza* licet non habeat Cathedralem Eccleſiam, civitatis tamen privilegio gaudet, ſub duce tam potenti & opulento, ut monſtri ſimile ſit in regno tam parvo, præter Regem, tam potentem & locupletem principem reperiri.

Santarenum (inquit *Nonius*) oppidum pervetuſtum Tagi ripis appoſitum, quinquageſimo ab Oliſipone lapide, in editiore colle ſitum: ager olei vinique maximè fœcundus, tritici feraciſſimus, & licet arctis limitibus concluſum ſit territorium, ingentes tamen tritici acervos fundit.

Portus habet nobiles, quorum primus *Setubal* viginti ab Oliſipone mill. verſus auſtrum, ad ſinum

num maris triginta milliaria longum, latum tria. 11 Setubal (inquit *Nonius*) urbs non incelebris, portu gaudet commodo & nobilium piſcium piſcatura abundat: accedit ingens candidiſſimi ſalis inexhauſta copia, ob inſignem toto ſinu ſalinarum frequentiam. Ager tritici vinique feraciſſimus.

Secundus, *Porto* quem Durius flu. aperit.

Famoſiſſimus Oliſiponenſis, quem Tagus efficit, qui quindecim aut viginti mill. maximis navibus aſcenditur. Vrbem paulo poſt deſcribam.

Ebora ſita eſt loco campeſtri, ſitu plane amœno; lata & porrecta eſt planicies, quæ impendentibus undique montibus clauditur, ipſi montes non inveſtes aut ſteriles, ſed denſis venuſtiſque nemoribus ornati: campi ſubjacentes fertiliſſimi & opimæ meſſis feraces; at tantæ felicitati ſolus amnis deficit.

cit. Archiepiſcopalem ſedem habet & nobilem Academiam. *Nonius.* Iacobus *Menœtius*, ambitu tria millía paſſuum quingent. quinquag. continere ſcribit. plures de illius antiquitatibus ſcripſerunt, quos adi tom. 2 Hiſpan.

Cæteræ civitates ſunt Coymbra cum Academia, urbs loco ſita amœniſſimo, in rupe undique olivarum ſylvis vinetiſque cincta, ad amnem vulgo Mondego dictum, qui duas urbis partes pulcherrimi operis ponte conjungit; diſtat autem à fluvii oſtio VIII. leuc.

Præter hæc (inquit *Boterus*) in Portugallia, qua caſtella, qua municipia muris cincta numerantur CCCC LXX. maxime inter Tagum & Minium ſita; nam pars regni inter Tagum & Anam raras habet habitationes & incolas paucos, quia magna ſui parte montoſa eſt & ſterilis: inter Durium autem & Minium frequentes quidem incolæ,

colæ, ſed pauperes & magis Galæcis ſimiles, quam Portugallis.

Portugalliæ plenior deſcriptio.

ANNO CIↃ IↃ CXX prodiit Oliſiponi deſcriptio regni Portugalliæ, vel potiſſimum urbis Oliſiponenſis authore *Nicol. de Olivera*, diligentiſſimo juxta & patriarum rerum ſcientiſſimo; qui quia patria lingua ſcripſit, obſcurior illius eſt liber & paucorum manibus teritur: Ex eo quæ maxime cognitu neceſſaria ſunt, excerpenda & vertenda duxi.

Regnum Portugalliæ longum eſt nonaginta leucas, latum quinquaginta. ambitu autem ſuo complectitur ducentas & octuaginta. Dividitur in ſex provincias; Prima vocatur *Alenteio*, id eſt, Tranſtagana reſpectu urbis Oliſiponenſis, & pertinet à Cimes pago ad civitatem Eluas, occupans totam regionem, quæ jacet inter Tagum

& Anam, & reliqua municipia cum pagis quæ trans Anam ſunt ab Alcoitim uſque ad Olivencam, inter quæ ſunt famoſa opidula Serpa & Moura. Pars hæc longa eſt leuc. XXXVI. lata XXXIV.

Secunda appellatur *Eſtremadura*, quæ ad mare quidem à Caſcais pertinet ad Mondego; intra continentem autem linea imaginaria clauditur ab Abrantes ad Coymbre pontem; tenetque in longitud. XXXV. leuc. in latitud. XVIII.

Tertia dicitur *Beira*, atque à Coymbra pertinet ad Guardam, continetque totam illam regionem quam vocant *Ribeira de Coa*; longa leuc. XXXIV. lata numerando ab Aveiro ad Tourones, XXXIII.

Quarta, inter Durium & Minium dicitur, pertingitque ab oppido Porto ad Valenciam ſuper Minium; longa leuc. XVIII, lata XII. ubi latiſſima; nonnuſquam tantum

tantum octo. Hæc licet ita exigua ſit, tamen centum triginta monaſteria habet opimis reditibus dotata; & mille quadringentas ſexaginta Eccleſias parochiales, præter Bracarenſem metropolitanam, & Epiſcopalem portuenſem, aliaſque collegiatas quinque. habet ultra quinque millia fontium perennium; & ducentos pontes e ſaxis fabricatos; & ſex maritimos portus.

Quinta appellatur *Transmontana*, pertinetque à flu. Tamaga, ad Epiſcopatum Mirandæ; longa xxx. leuc. lata xx.

Sexta Regnum Algarbia, quod à Ceixe pertingit ad Caſtromarinum, è regione Ayamontii: longa xxvii, leuc. lata viii. ubi longiſſima & latiſſima. patet itaque totum regnum in longitudinem ad oram quidem Oceani cxxxv. leucas, in mediterraneis vero cl. in latitudinem tantum quinquaginta;

ginta; longum enim eſt, ſed anguſtum.

Complectitur octodecim civitates & multa atque grandia oppida, quæ ſunt numero quadringenta & quatuordecim, quibus ſi addas ducenta & aliquot municipia eiſdem oppidis ſubjecta, efficiunt numerum ſexcentorum & ſupra tringinta oppidorum; neque deſunt alia loca, quæ vocant Aldeas, quæ ſunt infinita; nam ſolum oppidum Covilhaan ſub ſe complectitur ſupra trecentas & ſexaginta, quarum quædam ſunt majores ipſo oppido, quod tredecim habet parochias, quarum principalis intra muros ipſius continet ſexcentas familias. Civitatum denique tres ſunt archiepiſcopales, Oliſipo, Ebora & Braga ſive Bracara; novem Epiſcopales, Miranda, Porto, Coymbra, Lamego, Viſeu, Guarda, Portalegre, Eluas & Leiria; reliquæ quinque ſunt Braganca,

ganca, Beja, Tavira, Lagos, Fares & Sylves; quarum quatuor poſteriores ſunt in regno Algarviæ, & ſub uno Epiſcopatu comprehenduntur.

E Reſendii lib. 2. de antiquitatib. Luſitaniæ.

MVltis fluminibus irrigatur Luſitania. Id ſilentio non præteriit Strabo. *Regio,* inquit, *de qua loquimur, felix eſt* & amnibus magnis & parvis irrigua. Qui omnes ab Oriente pariter disjuncti à Tago ſunt, & majori ex parte navigabiles: atque *Anæ, Tagi, Mundæ, Vaccæ, Durii, Avi, Limiæ ac Minii* tanta claritas eſt, ut in eis explicandis operam inſumere ſupervacuum videatur. Sunt tamen in ſingulis quædam peculiaria, quæ lectoribus, ut opinor, non injucunda ſunt futura. Veluti *Ana,* tanto flumini, cuniculis ſe totum condere non ſemel, alicubi inter-

ſtitio quadraginta mill. paſſ. rurſuſque impetu majori renaſci. Potu ejus ac paſtu, ingenita naturę vi adeo grandeſcere pecudes, ut Ananis armentis, ac bobus, prima ex magnitudine palma in Hiſpania tribuatur. Cumque piſcoſiſſimus amnis ſit, piſces tamen ejus nõ tam jucunditate ſaporis, quam proceritate commendantur.

Myrtilin uſque à mari ſubeunt aloſæ & lampetræ: ſubeunt & ſub idus martias ad jam adultam æſtatem Aſturiones juſta magnitudine, ſed raro majores, quam ut bini mulum onerent clitellarium.

Callipodis meminit ſolus Ptol. eſtque is qui in Cetobrigenſem ac Salacienſ. ſinum ingreditur, ad XII mil. paſſ. ſupra Salaciã, onerariis navigiis & celocibus navigabilis, vùlgo Sadanũ appellamus. Familiares huic flumini ſunt mugiles, tum cephali, tum labiones, barbi & anguillę egrègio ſapore. Bocę quoq;

&

& minores alii piſces.atq; ubi ſalſis intermiſcetur undis, cammarorũ pectinumque proventus ingens.

Miſcetur *Tagus* marinis aquis in intimo ſinu ad oppidũ Villamfrancam. Latitudinem oſtii Strabo ſtadiorum eſſe viginti tradidit, altitudinem vero permagnam ut à navigiis millia decem vectantibus navigari facile poſſit. Hoc verum eſt: navigatur duplici canali veteri ac novo: & quod ait, in ſuperioribus campis ęſtus acceſſione duas diffundi inundationes, ut ad Stadia centum & quinquaginta facies extet pelagi, reddaturque planicies tota navigabilis; hoc nos experimur ab ipſo oppido Villafranca uſque Beneventum. multæ in eo ſunt inſulæ, frumentariæ omnes aut paſtionibus ſervatæ. Amnis quidem piſcium feraciſſimus eſt, oſtreorumq; redundans: inter quos principatum tenent aloſæ & propter bonitatem & propter copiam.

Munda in medium fere ultimi promontorii latus effluens, ut Mola tradidit. Inter Durium atque Tagum æquis fere ſpatiis ab eo ſeparatus. Non longe oritur, aurifer & ipſe, minoribuſque navigiis aliquatenus, cymbis vero fluviaticis uſque Conimbricam hodiernam, & ſupra, navigabilis. Abundat aloſis, lampetris autem ubique ſcatet laudatiſſimis, in ſuperioribus etiam troctis. Rapax eſt ac modicis imbribus excreſcit ad inſaniam.

Vacca influit in mare medio fere inter Mundam & Durium intervallo: non niſi parvis navigiis navigabilis; nec longe ortus: aloſarum, lampetrarum, troctarumque ferax.

Durius claritate ſua & ſcriptorum teſtimonio celebratiſſimus, aquarum mole Tagum ſuperat, niſi quod compreſſiore, ut fere inter montes, alveo fluit, Tago per

liberos

liberos & planos campos ad oſtentationem ſe dilatante. Navigatur adverſo amne M. paſſ. fere centum uſque ad cataractam, ubi ex rupe magno fragore præcipitatur. Ceteris amnibus, *Minio* excepto, grandiores fert aloſas, lampetras & troctas, ſalmonum parcior & aſturionum.

Celandus fluvius ad oppida Læciam & Matuſinos mare ingreditur, æſtu juvante, etiam navigiis aptus.

Avo ſive *Avus*, ut Ptolomæo placuit, notior eſt & navigiorum capacior.

Næbis is eſt, qui & oppido & ponti Næbiæ (cujus mentionem facit in itinerario Antoninus) nomen dedit, ſed ubi

Cadavo jungitur, ſub *Cadavi* appellatione exit in mare, ad oppidum Fanum.

Limia nomen retinet. non longe oritur ex paluſtribus qui-

buſdam locis inter Aquicaldenſem urbem & oppidum Montem regium; tractuſque ille vulgo *Limia* dicitur & incolæ *Limici*, ut ex columna Aquiflavienſi apparet. Sequitur *Minius*, quem Juſtinus lib. ultimo à minii frequentibus venis ſic vocatum prodidit.

Ceterum omnes hi fluvii piſcium lautiorum feraciſſimi ſunt, Lampetrarum, Aloſarum, Troctarum, Trocti ſalmonum, Iridum, atque Salmonum, inprimiſque ipſe Minius.

Atque hi omnes veteribus coſmographis noti fuere; ſunt & alii & perquam multi, neque ignobiles: qui quoniam in majores influunt, nec ſuo alveo in mare ingrediuntur, Geographiæ ſcriptoribus aut ignorati ſũt aut ſuppreſſi. Horum aliquot, dignos qui in notitiam veniant hominum noſtrorum, referam. Nominibus uti licuerit priſcis ac latinis, ubi minus

iis,

iis, quibus modo appellantur, quam maxime potuero, barbarie, ſi quæ inerit mitigata. Cujus modi ſunt *Cuda, Tamaca. Naban, Ozecarus, Ancus, Caia, Cania, Seila, Subur, Thera, Sata.*

Cudam Luſitani *Coam* vocant. *Cudam* autem vocari, ex inſcriptione pontis Alcantarę, ubi *Transcudani* notati ſunt, animadverti.

Tamaca nomen ex Aquiflavienſi columna accepi, ubi Tamacani populi recenſentur.

Nabanem & *Ozecarum* hiſtoriæ S. Virginis & martyris Irenes, quæ ante annos octingentos ſcripta eſt, acceptos refero. *Ozecarus*, eſt quem Luſitani *Zezarum* vulgo dicunt: is *Nabanem* excipit & ipſe in Tagum erumpit, tanta vi ut Taganas aquas ad alteram uſque ripam proſcindat & quaſi indignatus, quod à majore fluvio exſtinguatur, fere ad mille paſſ. prono alveo contumaciter mixtioni re-

ſiſtens, à colore dignoſcitur. Nam *Tagus* ſubalbas ac flavas vehit aquas, hic autem cæruleas, ad nigrorem tendentes.

Anci nomen ex vita S. Martini Saurienſis presbyteri, abhinc annos ſupra quadringentos quinquaginta ſcripta, accepi.

Subur Luſitanis Seor dicitur: qui poſtea *Racæ* junctus, Suburrajæ nomen accipit, quod perfert, donec exeat in *Tagum*, ibi aloſarum mercatura tranſtaganis factus celebris.

Seilia nomen priſcum ſortitus eſt, ab oppido quod præterfluit ditionis Urbanenſis cænobii: ingrediturque *Mundam*, iiſdem quibus *Munda* piſcibus abundans.

De montibus Portugalliæ è Ioanne Caramuel Lobkovvitz.

IN hac regione (inquit) protuberant excelſi montes, qui Atlantis æmuli prẹſumunt excedere regio-

regionem igneam, atque ſoluto æthere capita inculta coronare. Ex iis illuſtrior ille cui à *Stella* nomen, quod ſidera propior obſervet. Tutus eſt lacu atque tenebris nemorum. Illius aqua inſipida communicatur ab Oceano, licet viginti leucis diſſito. Lacus & oceani communio oſtenditur ex æſtuum reciprocatione quotidianâ, annotante Texeira ex accolarum teſtimonio. Procellæ fatigantes maria, lacus undas concutiunt & alterant; quas ſæpe fragmentis navium per ſubterraneos aditus excuſſis donant, & incolas admiratione. Nec huic abſimilis habetur *Chaves:* qui mons eſt aquis flavis adhærens in Territorio tranſmontano.

Ex eodem de Provincia interamni.

INteramnis provincia (cui primario competit nomenclatura

Portugalliæ) per octodecim leucas extenditur: in latitudinem quà maxima duodecim; quà breviſſima quatuor horis tranſitur. Finibus anguſtis deſcribitur, auguſto tamen rerum fœnore & annonæ abundantia. Præter Bracarenſem eccleſiam (quæ de Hiſpaniæ primatu contendit) continet hæc Provincia Eccleſias collegiatas quinque, centum & triginta monaſticas ampliſſimo cenſu dotatas, habetque plus minus MCDLX parochiales. Eſt celebris perenni ſcaturigine millies viginti quinque fontibus. Fluvii ducentis pontibus quadrato lapide conſtructis ſunt pervii. Naves excipiunt octo portus maritimi, loci natura ſecuriſſimi, muniti undique arcibus & mercium opulentia divites.

E Roderico Santio parte I. *c.* 6.

QUartum regnum Portugallia eſt, cujus non paucam partem

Galle-

Gallecıæ antiqui connumerant. opulentiſſimum certe regnum & omnibus bonis plenum, ſuper littora Oceani conſtitutum, ex qua parte occidentalem plagam reſpicit. ex meridiana vero & orientali parte atque ſeptentionali Galleciam & Caſtellæ regnum reſpicit. Quo fit ut in Portugalliam acceſſus aut aditus nullibi pateat, niſi per eas partes Hiſpaniæ, quas Caſtella obtinet.

Ex Ioannis Vaſæi Chronico. c. 8.

LUſitania à Septentrione habet Durium fluvium ab oſtio ipſius uſque ad pontem qui eſt contra Septimancas: ab Occaſu eam oceani Atlantici partem, quæ eſt inter oſtia Anæ & Durii: à Meridie Bæticam: ab Oriente terminatur à Tarraconenſi, linea ducta ab Oretania veteri, uſque ad pontem qui habet è regione Septimancas. clauditur duobus fluminibus, ut diximus,

diximus, interſecatur Tago, omnibus his memorabilibus. Quorum Anas in Laminitano agro oritur, è montibus Carthagini & Murtiæ vicinis. Unde triginta M. P. decurrens, obtuſis totum ſe propere condit cuniculis, rurſuſque ſtadiorum ſexaginta quatuor ſubterraneo peracto curſu, totus renaſci videtur, quemadmodum ait Marius Aretius patritius Syracuſanus, atque ita modo ſe in ſtagna fundens, modo in anguſtias reſorbens, aut in totum cuniculis condens & ſæpius naſci gaudens, prope Myrtilim (Mertolam hodie vocant) in Oceanum effunditur.

Tagus in Celtiberia oritur Tarraconenſis provinciæ regione, ac primum Celtiberiam, mox Carpitaniam, deinde Luſitaniam ſecans, prope Oliſiponem in Oceanum quoque exoneratur. Fluvius hic antiquis celebratus eſt arenis au-

reis,

reis, quas hodie quoque reperiri affirmant & eſſe qui ex ea re quæſtum non mediocrem faciant.

Durius in Pelendonibus provinciæ Tarraconenſis oritur, fluitque in meridiem uſque ad Numantiam, quæ prope Soriam olim fuit, inde per mediam fluens Caſtellam, mox in Portugalliam tranſit, Luſitanicam ab interamni & Tranſmontana dividens, prope civitatem Portugallenſem in Oceanum devolvitur, plurimis abſorptis fluminibus, quorum non infimi nominis eſt *Thormis*, quem Salmantica nobiliſſima diſciplinarum omnium magiſtra, vicinitate ſua nobilitat.

Interamnem appello Portugalliam, quæ eſt inter Durium & Minium regio non minus amœna quam fertilis, quam & ipſam non nulla irrigant flumina, quorum præcipua, *Avus*, cujus in ripa tota nullam cernas arborem ſpinife-

ram,

ram, hoc eſt, ex earum genere quæ mala medica ſive aurea, citrea aut alia id genus producunt: quod huic fluvio cum Aleſte Bracarenſi fluvio commune eſſe ajunt, quum tamen tota illa provincia ſit horum fructuum, ſiqua alia, multo feraciſſima: & Nebis, quem *Neve*, Servato nomine hodie appellant; & Limia celebratus antiquis fluvius, quem Lethen græci, Oblivionem latini vocarunt. Habet & alios Luſitania non pœnitendos amnes, quorum non poſtremus eſt Munda, Conimbricenſis Academiæ propinquitate celebris, Mondegum hodie nuncupant, qui & ipſe aureis arenis & ramentis celebratur.

Non longe à Munda eſt Vaca fluvius, hodie *Voguam* appellant. In eodem tractu, nimirũ octo leucis à Conimbrica, viſitur etiam hodie fons ille admirabilis quem Plinius in Catinenſi Hiſpaniæ agro ponit,

ponit, qui quicquid admotum fuerit abſorbet. Cujus rei ſe præſente factum periculum mihi affirmavit dominus meus Henricus Cardinalis & Princeps, coram Rege Joanne & cæteris fratribus regiis, quum in arborum truncis & ramis, tum in jumento, quod fonte admotum pede, paulatim abſorberi cœptum, ægre tandem à famulis extractum eſt. Fons ille hodie appellatur *Ferventia*, & ager in quo viſitur, *Cadima*, non procul à Tentugalenſi municipio.

Portugalliam improprie Luſitaniam appellant, cum alioqui nec tota Portugallia Luſitaniæ finibus, circumſcripta ſit, nec totam Luſitaniam complectatur: illud tamen negari non poteſt, potiorem Luſitaniæ partem Portugalliæ regi parere. Dividitur vero Portugallia in Tranſtaganam, Ciſtaganam & Interamnem. Tranſtagana Bœticæ partem carpit, eam ſcilicet

quæ

quæ ab Ana uſque ad regni limites porrigitur. Interamnis tota extra Luſitaniam eſt, niſi repudiata deſcriptione poſita, *Straboni* magis accedamus, qui ait lib. 3. maximam Luſitanorum partem Callaicos appellatos. Hujus regionis longitudo eſt octodecim leucarũ. Latitudo qua maxima, duodecim alibi ſex aut etiam quatuor. Atque in hoc tam exiguo terræ intervallo, præter Eccleſiam Bracarenſem. Metropolitanam, & Portugallenſem cathedralem, ac alias quinque collegiatas, reperias pluſquam centum triginta monaſteria, quorum pleraque reditus habent ampliſſimos; præterea plus minus mille quadringentas ſexaginta parochiales cum ſuis baptiſteriis, ut ſcribit quidã. certe in ea parte, quæ Bracarenſem agnoſcit Eccleſiam, octingentæ recenſentur. Ex qua re fertilitatem & antiquam religionem gentis facile agnoſcas.

de

de amœnitate vero quid opus eſt dicere, quum in ea numerata ſint ultra viginti quinque millia fontium perennium, pontes quadrato lapide elegantiſſime conſtructi prope ducenti, portus marini ſex. Huic adhæret ea quam Transmontanam appellant, regio optimi tritici generoſique vini ferax, in qua eſt *Brigantia* caput ampliſſimi ducatus, cui hodie præeſt, multiſque annis præſit, non regio tantum ſtemmate inclytus, ſed omnibus etiam corporis animique dotibus præſtantiſſimus Heros D. Theodoſius, omnium eruditorum encomiis celebrandus. Ex hujus regionis montibus affirmavit mihi Ampliſſimus Princeps & Dominus meus Henricus Cardinalis regi Joanni fratri ſuo ſe præſente allatum lapidem, aureis ramentis ac bracteolis plenum.

PARTICVLARIS PORTUGALLIÆ DESCRIPTIO.

Ex

Deſcriptione Regni Portugalliæ Duarte Nunnez de Leanno.

REgnum Portugalliæ dividitur in ſex regiones ſive provincias: Prima continetur inter Durium & Minium; ſecunda eſt Tranſmontana; tertia Beira; quarta intra Tagum & Guadianam; quinta Eſtremadura, cujus metropolis eſt Olyſippo; ſexta eſt Algarba. In hiſce ſex provinciis ſunt octodecim civitates, quarum tres ſunt Archiepiſcopatus grandes & opulenti, nimirum Bracara, vulgo Braga, Olyſippo & Ebora. Et undecim Epiſcopatus. Numerus oppidorum è diſtrictibus apparebit. Pagorum, quos vocant *Aldeas*, ingens

gens numerus : & ſolum oppidum *Covilhaon* complectitur trecentos & ſexaginta, quorum aliquot ita grandes ſunt quale ipſum oppidum.

Iſtæ regiones ſive provinciæ dividuntur in diſtrictus ſeu territoria, quæ ipſi vocant *commarcas* ſive *correicones :* quarum prima regio conprehendit quatuor : ſecunda totidem : tertia ſex : quarta totidem: quinta quinque : ſexta duas.

Sub prima regione continentur Porto, Viana, Ponte de Lima, Guimarannes.

Diſtrictus oppidi Porto.

Civitas Porto.
Conſelho porto Carreiro.
Conſelho da Louſada.
Conſelho de Bemvives.

Diſtrictus Viana de Foz de lima.

Oppidum Viana.

Oppidum Caminha.
Villa nova de Cerviera.
Villa de Valenca de Minho.
Villa de Mençaon.
Villa de Barcellos.
Villa de Melgaço.
Conſelho de Coura & Falano.
Conſelho de Valdeves.
Conſelho de Soajo.
Conſelho de Valadares.
Conſelho de Caſtro Leborero.
Conſelho de pouvacaon de Darq;.
Jugado de Pena fiel.
Jugado de Neiva.
Jugado de Aguiar de Neiva.

Diſtrictus Ponte de Lima.

Villa de Ponte de Lima.
Villa nova de Fameliano.
Villa de Rates.
Couto de Corneilhana.
Couto de Cabaças.
Conſelho do Souto de Rebordanos.
Conſelho de S. Eſtevano de Saraz.

Conſelho de Saraz de Lima.
Conſelho de Penella.
Conſelho de Penella de dom Joanno.
Conſelho de Larinho.
Conſelho de Villa chana.
Conſelho da Nobrega.
Conſelho do Prado.
Couto de Moure
Couto de Pouſadella.
Conſelho dentre homen & Cabado.
Conſelho de Regalados.
Conſelho de Landoſo.
Conſelho de Sam Joano.
Conſelho & terra de Bauro.
Conſelho de Lanhoſo.
Conſelho & terra de riba de Soaz.
Conſelho & terra da Avieira.
Conſelho de Vermoim.
Jugado de Faria.
A Povoaçaon de Fam & Eſpoſende.

Diſtrictus Guimaranes.

Villa de Guimaranes.

Civitas Bracarenſis.
Villa de Conde.
Villa de Amarante.
Conſelho & terra de Unhano.
Conſelho & terra de Filgueiras.
Conſelho de Monte longo.
Conſelho & terra de Roças.
Conſelho de Villa Boa de Rhoda.
Conſelho de Santa Cruz de Riba Tamaga.
Conſelho de Celourico do Baſto.
Conſelho de Cabeceiras de Baſto.
Couto de Rouſe.
Couto de Remſtim.
Couto de Pedralva.
Couto de Vimieiro.
Couto de Tibaanos.
Couto de Cambeſes.
Couto de Queijada.
Honra de Capeanos.
Honra de Meinedo.

Sub Secunda regione continentur Miranda, Torre de Mencorvo, Villa Real, Pinhel.

Diſtri-

Diſtrictûs Mirandæ.

Civitas Miranda.
Villa de Vimioſo.
Villa de Algozo.
Villa de Outeiro.
Villa da Bempoſta.
Villa do Mongadoûro.
Civitas Braganza.
Villa de Vinhaes.
Concelho de Penas Rojas.
Concelho do Aſinhoſo.
Concelho de Villar Secco Dalomba.

Diſtrictus Mencorvi.

Villa da torre de Mencorvo.
Villa de Moos.
Villa de Villarinho do Caſtanheiro.
Villa de Villa Flor.
Villa de Ancianes.
Villa da Alfandega.
Villa de Mirandellã.
Villa de Freixo de Spada ciura.

Villa de Monforte.
Villa de Chavos.
Concelho de Freixel.
Concelho de Villas Boas.
Concelho Dabreiro.
Concelho de Fienhas.
Concelho de Caſtro Vicente.
Concelho de Lamas de Orelhano.
Concelho de Chacim.
Concelho de Corriços.
Concelho Seſelſe.
Concelho da torre de Dona Chama.
Concelho de Val de Aſnas.
Concelho de Noſellos.

Diſtrictus Villa Real.

Villa Real.
Villa de Meijano Frio,
Villa de Canaveſes.
Villa de Monte alegre.
Concelho da Rixeira.
Concelho de Cannellas.
Concelho de Cerva.
Concelho de Pena Guiano.
Concel-

Concelho de Cidadelhe.
Concelho de Ermello.
Concelho de Barquieros.
Concelho de Sales.
Concelho de Villa marim.
Concelho de Tibanes.
Concelho de Gouvea de Riba Tamaga.
Concelho de Geſtaçon.
Concelho de Mondim.
Concelho de Aleem.
Concelho de Soilhanos.
Concelho de Fuvacos.
Concelho de Alinio.
Concelho de Murça.
Concelho de Pena.
Concelho de Aguiar de Penna.

Diſtrictus Pinhel.

Villa de Pinhel.
Villa de Almeida.
Villa de cinquo villas.
Villa de Caſtel Rodrigo.
Villa de Cedoroim.
Villa de Nemano.

Villa de Muxagara.
Villa de Caſtelbom.
Villa de Meda.
Villa de Ranhados.
Villa de Souto.
Villa de Cemancelhe.
Villa de Lamgrovea.
Villa de Marialva.
Villa de Caſtel Mendo:
Villa de Penella.
Villa da Povoa.
Villa da Vallongo.
Villa do Auelloſo.
Villa de Pinedoo.
Villa das Reigadas.
Villa da Torre dos Frades.
Villa de Almendra.
Villa nova de Faſcoa.
Villa de Villarmajor.
Villa de Trovones.
Villa de Sam Joano da Peſqueira.
Villa de Alfaiates.
Villa de Paredes.
Villa de Fonte Arcada.
Villa de Sinclin,

Concel-

Concelho de Val de Coelha.
Concelho de Horra.
Concelho da Hervedoſa.
Concelho do Caſtanheiro.
Concelho de Valenca.
Concelho de Soutello.
Concelho de Tavora.
Concelho de Paredella.
O lugar do Lamegal.

Sub tertia Regione continentur Ulyſippo, Santarem, Tomar, Alenquez, Leiria & Setubal.

Diſtrictus Vlyſipponenſis.

Maxima civitas Ulyſippo per ſe regnum eſt.

Diſtrictus Santarem.

Villa de Santarem.
Villa de Almeiri M.
Villa de Muja.
Villa de Salvaterra.
Villa de Laveiras de Baixo.
Villa de Veiris de cima.

Villa de Alcanede.
Villa de monte Argil.
Villa de Alcoentre.
Villa de Azambuſa.
Villa de Torres Novas.
Villa de Curuche.
Villa de Erra.
Villa de Ulme.
Villa de Chamuſca.
Villa da Golegana.

Diſtrictus Leiriæ.

Civitas Leiria.
Villa da Batalha.
Villa de Porto de Moos.
Villa de Alpedriz.
Villa de Paredos.
Villa de Aljubarota.
Villa de Coz.
Villa de Majorga.
Villa de Alcobaça.
Villa de Euora de Alcobaça.
Villa de Traques.
Villa de S. Catherina.
Villa de Pederneira.

Villa de Cella.
Villa de Aluerninha.
Villa de Alfeizirano.
Villa de S. Martinho.
Villa de Selir do Porto.
Villa de Selir do Mato.
Villa de Obedos.
Villa das Caldas.
Villa do Cadaval.
Villa da Lourinhaam.
Villa da Atouguia.

Diſtrictus Tomarenſis.

Villa de Tomar.
Villa das Pias.
Villa de Ferreira.
Villa da Ericeira.
Villa de Agoas bellas.
Villa de Paipelle.
Villa de Ourem.
Villa de Tancos.
Villa de Atalaja.
Villa de Dornes.
Villa de Alvaiazere.
Villa de Poucos.

Villa de Rei.
Villa de Abirel.
Villa de Alega.
Villa de Sovereira fermoſa.
Villa de Pombal.
Villa de Figueiro dos vinhos.
Villa de Gude.
Villa de Macanas de Caminha.
Villa de Maçanas de dona Maria.
Villa do Pedrogano grande.
Villa de Punhette.
Villa de Aellal.
Villa do Redinha.
Villa da Rabaçal.
Villa de Palhanes.
Villa de Pouſa flores.
Villa de Peneller.
Villa de Soure.
Villa da Ega.
Villa de Chano do couſe.
Villa de Abrantes.
Villa do Sardoal.
Villa de Maçaam.
Villa da Amendoa.
Villa de Belver.

Villa dos Envendos.
Villa da Ponte do Sor.
Villa da Carvoeira.
Villa da Abrechoeira.
Villa da Proença a nova.
Villa das Sarzedas.
Villa da Sartaan.
Villa de Oleiros.
Villa de Pampilhoſa.
Villa de Pedrogam pequenno.
Villa do Priorado.
Villa de Alvaro.
Concelho de Alvarones.

Diſtrictus Alenquerenſis.

Villa de Alenquer.
Villa de Torres vedras.
Villa de Enxara dos cavallejros.
Villa de Monte Agraço.
Villa de Aldea Gallega.
Villa de Arruda.
Villa Verde.
Villa franca de Xira.
Villa da Alhandra.
Villa da Caſtanheira.

Villa

Villa de Mafora.
Villa da Eiriceira.
Villa de Povos.
Villa de Alanquez.
Villa de Cintra.
Villa de Caſcaes.
Villa de Chilheiros.
Villa de Collares.
Villa de Bellas.

Diſtrictus Setuval.

Villa de Setuval.
Villa de Palmella.
Villa de Couna.
Villa de Barreiro.
Villa de Alhos Vedros.
Villa de Aldea Gallega.
Villa de Grandola.
Villa de Alcouchete.
Villa de Cezimbra.
Villa de Almada.
Villa de Cabrella.
Villa de Camora Correa.
Villa de Benavente.
Villa Alcacere do Sal.

Villa

Sub quarta Regione compre-
henduntur Conimbrica vulgò
Coimbra, Guarda, Lamégo, Vi-
ſeum, Aveiro & Caſtelbranco.

Diſtrictus Conimbricenſis.

Civitas Coimbra.
Villa de Tentugal.
Villa de S. Chriſtina.
Villa de Monte mor à velho.
Villa de Louſaam.
Villa de Ançaan.
Villa de Cernache.
Villa de Miranda.
Villa de Penna Cova.
Villa de Cantanhede.
Villa nova de Anſos.
Villa de Serpys.
Villa de Mira.
Villa de Goas.
Villa de Pombeiro.
Villa de Cellaviſa.
Villa de Arganil.
Villa de Buarcos.
Villa de Redondos.

Villa de Preira.
Concelho de Carvalho.

Diſtrictus Viſeenſis.

Civitas Viſeum.
Villa S. Pedro de Arcas.
Villa de Oliveira do Conde.
Villa de Bobadella.
Villa de Oliveira do Hoſpital.
Villa de Freixedo.
Villa de Cannas de Senhorim.
Villa do S. Daniel.
Villa de vide do Monte.
Villa de S. Comba dana.
Villa de Coja.
Villa de Mortagoa.
Concelho de Barrelro.
Concelho de Povolide.
Concelho de Ranhados.
Concelho de S. Olalha.
Concelho da Sabugoſa.
Concelho de Pennaloa.
Concelho de Curano.
Concelho de Azurara.
Concelho de Rio de Moinhos.

Concelho de Maceira de ana.
Concelho de Lobelhe de Mato.
Concelho de Tabora.
Concelho de Ladeiro.
Concelho de Ferreira de Aves.
Concelho de Galfar.
Concelho da Silvana.
Concelho de Silvares. (da.
Conſelho do Moſteiro de hermi-
Concelho de Alva.
Concelho de Mones.
Concelho de Senhorim.
Concelho de Gumieira.
Concelho de Simide.
Concelho do Sul.
Concelho de Currellos.
Concelho do Candoſo.
Concelho de Pero Salada.
Concelho de Azerede.
Concelho de Mouraz.
Concelho de Goardano.
Concelho de Roriis.
Concelho de Tavares.
Concelho de Infianes.
Concelho de Forreſelho.

Concelho de Oliveira do Hoſpital.
Concelho da Jagioſa.
Concelho de Lagares.
Concelho de Nogueira.
Concelho de Aguieira.
Concelho de Aguiar da Beira.
Concelho de Carapito.
Concelho de Beeſteiros.
Concelho de Cannas de Sabugoſas.
Concelho de Alvarenga.
Concelho da Roa.
Concelho de Pinheiro.

Diſtrictus Lameganus.

Civitas Lamego.
Villa de Valdigem.
Villa de Cucanha.
Villa de Armamar.
Villa de Tarouca.
Villa de Barcos.
Villa de Tavoaço.
Villa da Grania de Tedo.
Villa de Britiande.

Villa de Leomile.
Villa de Muimenta.
Villa de Caſtro d'Airo.
Villa de Arouca.
Villa de Cedavim.
Villa de Oliveira de frades.
Concelho de Sande.
Concelho de Maire.
Concelho de Parada.
Concelho de Fontello.
Concelho de Santa Cruz de Lumeares.
Concelho de villa Seica.
Concelho de Sain Martinho de Mouros.
Concelho do Paço de Solſever.
Concelho de Gozende.
Concelho de Croio Infuido.
Concelho de Foçaon.
Concelho de Campo benfeito.
Concelho de Ruſinde.
Concelho de Pinheiros.
Concelho de Longa.
Concelho de Chaves.
Concelho de Areoſa.

Concelho de Nogoſa.
Concelho de Villa Cova Coesheira.
Concelho de Pendilhe.
Concelho de Aregos.
Concelho de Parada deſter.
Concelho de Fragoas.
Concelho de Sam Pedro do Sul.
Concelho de Buſella.
Concelho de Gaſanlido.
Concelho das Caldas de La fones.
Concelho de S. Coſmado.
Concelho de Lanhana.
Concelho de Ferreiros de Tendaes.
Honra de Lalim.
Honra de Ribadellas.
Honra de Mezio.
Concelho de S. Chriſtovam de Nogueira.
Concelho de Cabril.
Concelho de Monçaon.
Concelho de Tendanes.
Concelho de Caria.

Con-

Concelho de Regus.
Concelho do Souto de pena & pera.
Concelho de Cinfaanes.
Concelho de Valançana.
Concelho de Paiva.
Concelho de Varzeas.
Concelho de Samfiis.
Concelho da Tarouquella.
Concelho de Lafpnes.
Concelho de S. Joani de Monte.
Concelho do Caſtello.
Honra de Beba.
Honra de Varzea da Serra.

Diſtrictus Guarda.

Civitas Guarda.
Villa de Gormello.
Villa de Linhares.
Villa de Codefreira.
Villa de Mello.
Villa de Celourico.
Villa de Gouvea.
Villa de Francoſo.
Villa de Moreira.

Concelho de Nogoſa.
Concelho de Villa Cova Coesheira.
Concelho de Pendilhe.
Concelho de Aregos.
Concelho de Parada deſter.
Concelho de Fragoas.
Concelho de Sam Pedro do Sul.
Concelho de Buſella.
Concelho de Gafanlido.
Concelho das Caldas de La fones.
Concelho de S. Coſmado.
Concelho de Lanhana.
Concelho de Ferreiros de Tendaes.
Honra de Lalim.
Honra de Ribadellas.
Honra de Mezio.
Concelho de S. Chriſtovam de Nogueira.
Concelho de Cabril.
Concelho de Monçaon.
Concelho de Tendanes.
Concelho de Caria.

Concelho de Regus.
Concelho do Souto de pena &
pera.
Concelho de Cinfaanes.
Concelho de Valançana.
Concelho de Paiva.
Concelho de Varzeas.
Concelho de Samfiis.
Concelho da Tarouquella.
Concelho de Laſones.
Concelho de S. Joani de Monte.
Concelho do Caſtello.
Honra de Beba.
Honra de Varzea da Serra.

Diſtrictus Guarda.

Civitas Guarda.
Villa de Gormello.
Villa de Linhares.
Villa de Codefreira.
Villa de Mello.
Villa de Celourico.
Villa de Gouvea.
Villa de Francoſo.
Villa de Moreira.

Villa de Caſtiçano.
Villa de S. Marinha.
Villa de Fornos de Algones.
Villa de Figutirô da Grania.
Villa de Manteigas.
Villa de Sea.
Villa de Lago da Beira.
Villa de Avoo.
Villa da Feira.
Villa de Louroſa.
Villa da Ujerinha.
Villa de S. Romano.
Villa de Loriga.
Villa de Folgoſinhos.
Villa de Barracal.
Villa de Açores.
Concelho de Formo Telheiro.
Concelho de Seixo.
Concelho do Hervedal.
Concelho de Cabra.
Concelho do Caſal do monte.
Concelho de Malança.
Concelho de Caſtroverde.
Concelho de Penna verde.
Concelho de Algodres.

Concelho de Villa pouca.
Concelho do Couto de Lorvano.
Concelho de Farano.
Concelho da Sanguinheda.
Concelho do Caſal.
Concelho de Valaſim.
Concelho de Villa Cova coelheira.
Concelho de Alva da Serra.

Diſtrictus Aveiranus.

Villa de Aveiro.
Villa da Arada.
Villa de Lanhoſa.
Villa de Pinheiro.
Villa de Angeje.
Villa de Coſta.
Villa de Vagos.
Villa de Foroços.
Villa de Segadaanes.
Villa de Ermida.
Villa da Trofa.
Villa doce da Ribeiro.
Villa da Reiardanes.
Villa da Paos.
Villa de Vouga.

Villa de Antoaná.
Villa da Guieira.
Villa de Bronhido.
Villa de Oliveira do Bairro.
Villa de S. Galhos.
Villa de Eſgueira.
Villa de Serem.
Villa de S. Lourenço do Baino.
Villa de Auellanes de Caminha.
Villa de Bempoſta.
Villa de Pereira de geſtano.
Villa de Villarinho do Bairro.
Villa de Avellanas de Cima.
Villa de Ovar.
Villa & terra da Feira.
Concelho de Sequiis.
Concelho de Ferreiros do Conde.
Concelho do Caſal de Alvoro.
Concelho da Cuſtanheira da Beira.
Concelho de Soutello.
Concelho de Sever.
Concelho de Fumedo.
Concelho de Cafanhano.

Concelho de Cambra.
Concelho de Eſtevem.
Couto da Barca da Guarda.

Diſtrictus Caſtel Branco.

Villa de Caſtel Branco.
Villa de Caſtel novo.
Villa da Atalaja.
Villa da Idanha a nova.
Cidade da Idanha a velha.
Villa de Sam Vicente da Beira.
Villa de Proença.
Villa de Rodano.
Villa de Roſmaninhal.
Villa de Monſanto.
Villa da Bempoſta.
Villa de Penamacor.
Villa de Covilhana.
Villa de Penna Garcia.
Villa de Segura.
Villa de Belmonte.
Villa de Salvaterra.
Villa de Sorrelha.
Villa de Touro.
Villa de Sabugal.

Sub quinta Regione cenſentur Ebora, Beia, Eluas, Portalegre & Eſtremoz.

Diſtrictus Eboræ.

Civitas Ebora.
Villa de Arraiolos.
Villa de Montouro.
Villa de Agujar.
Villa de Montemoro novo.
Villa de Alvito.
Villa de Viana apar de Euora.
Villa das Alcacevas.
Villa do Redondo.
Villa nova de Alvito.
Villa do Torrano.
Villa de Portel.
Villa das Aquias.
Villa de Cabeçano.
Villa de Pavya.
Villa de Mora.
Villa de Laura.
Villa de Canha.
Villa de Ouriola.

Diſtri-

Diſtrictus Eſtremoz.

Villa de Eſtremoz.
Villa do Canal.
Villa de Borba.
Villa de Veiros.
Villa de Sonſel.
Villa de Viçoſa.
Villa do Cano.
Villa de Euoramonte.
Villa de Fronteira.
Villa do Vimieiro.
Villa de Figueira.
Villa de Cabeça de vide.
Villa de Avis.
Villa das Galveas.
Villa de Alter Pedroſo.
Villa da Seda.

Diſtrictus Elvas.

Civitas Elvas.
Villa Boim.
Villa de Juremenha.
Villa de Barbacena.
Villa Fernando.

Villa de Olivença.
Villa de Novedar.
Villa de Campo major.
Villa de Ouguella.
Villa do Alandroal.
Villa de Terena.
Villa de Mourano.
Villa de Monſaraz.

Diſtrictus Portalegre.

Civitas Portalegre.
Villa de Caſtel de Vide.
Villa de Marvano.
Villa de Alpahano.
Villa do Crato.
Villa de Arronches.
Villa de Alter do chano.
Villa de Alegrette.
Villa de Açumar.
Villa de Toloſa.
Villa de Monforte.
Villa de Povoa.
Villa de Niſa.
Villa de Rees.
Villa das Meadas.

Villa Flor.
Villa do Gaviano.
Villa da Chancellaria.
Villa de Meira.
Villa de Montalvano.
Concelho da Margem.
Villa de Belver de entre Tejo & Guadiana.

Diſtrictus Beja.

Civitas Beja.
Villa de Beringel.
Villa de Ferreira.
Villa de Vidigueira.
Villa de Serpa.
Villa Ruiva.
Villa Alva.
Villa de Frades.
Villa do Marmelal.
Villa de Aliuſtrel.
Villa das Entradas.
Villa de Albeigaria.
Villa de Agoa dos pexes.
Villa de Meſeiena.
Villa de Caſevel.

Villa de Panojas.
Villa de Caſtro verde.
Villa de Alvalade.
Villa do Moura.
Villa de Garvano.
Villa de Ourique.
Villa dẽ Mertola.
Villa de Almodouvar.
Villa dos Colos.
Villa dos Padrones.
Villa de Sanctiago de Caçem.
Villa nova de Milfontes.
Villa de Sines.
Villa de Mira.

Sub ſexta Regione ſeu Regno Algarbiæ continentur Tavira & Lagos.

Diſtrictus Taviræ.

Civitas Tavira.
Villa de Cacella.
Villa de Caſtro Marim.
Villa de Arenilha.
Civitas Faro.

Villa

Villa de Louleé.
Villa de Sancto Antonio.
Villa de Alcoutim.

Diſtrictus Lagos.

Civitas de Lagos.
Villa de Alvor.
Villa nova de Portimano.
Civitas de Sylves.
Villa de Albufeira.

Servavimus in hac recenſione nomina Portugallica; monendum tamen putamus, *Coutos* ſignificare judicialem conventum, cujus dominium eſt penes privatum aliquem ex antiquo Regum beneficio: quibus pene ſimiles ſunt *Conſelhos*: & *Honra*.

Civitatis Oliſiponenſis & illius diſtrictus deſcriptio: ex Oliveira.

Civitas Oliſipo hodie *Lisboa*, patet in longitudinem à Belem ad S. Bento duas leucas: quod

 inter-

intervallum continuis ædificiis occupatur, in medio autem ipſa civitas jacet, ſeptem ſatis altis montibus ſuperſtructa, quorum non modo convalles, ſed & clivos occupat. Primus mons qui eſt ad Orientem S. Vincentii dicitur, hic Maurorũ temporibus extra civitatem fuit; nam vetus civitas exordium ſumebat à Caſtello, & ab eo deſcendebat ad ripam fluminis, & ſecundum illius ductum murus pertinebat ad turres, quæ ſunt è regione Eccleſiæ Miſericordiæ ab Emanuele R. fabricatæ, & hinc murus per portam ferream ad caſtellũ redibat, quo circuitu ſeptem parochiæ continentur. Deinde novus murus ductus fuit à porta Civitatis ſecundũ ripam fluminis ad portam Crucis, & ab ea ad monaſterium S. Vincentii, quo ambitu octo parochiæ comprehenduntur. A Caſtello autem ubi murus hic novus verſus ortum terminatur;

tur; murus rurſus ad Occidentem perductus fuit ad S. Rochum, à quo denique ad ripam fluminis deſcendit, & decem complectitur parochias: ita ut hic ambitus in totum viginti quinque parochias contineat. Sed ut ad primum hunc montem revertar, is ad Orientem aſſurgere incipit ab illuſtri monaſterio S. Claræ, & ſubit ad S. Vincentium, à quo deſcendit ad noſtram Sennoram de Gracia, ubi & murus civitatis deſinit, ab hac ad meridiem deſcendit per S. Andream & Salvatorem ad equile Regium, ita ut intra hunc montem contineantur ſex ſatis grandes parochiæ: nimirum S. Engraciæ extra muros, intra autem S. Vincentii, S. Mariæ, S. Andreæ, Salvatoris & S. Stephani.

Secundus mons, ad occidentem prioris, ab ejuſdem termino initium ſumit, & aſcendit ad portam S. Andreæ, atque inde ſecundum

occidentale Caſtelli latus, ad equile Regium protenditur; continetque parochias tres, ad Orientem quidem S. Michaelis, ad Occidentem S. Petri, & in vertice quaſi S. Thomæ.

Tertius qui altiſſimus & undique præceps & rotundus, muniſſimum habet Caſtellum, altis muris & turribus cinctum. Incipit hic mons ad Orientem à porta S. Andreæ, & abruptis clivis deſcendit ad equile Regium, & inde magno ambitu, mediæ pene leucæ ad portam S. Andreæ redit; continetque parochias ſequentes, S. Crucis in Caſtello, S. Bartholomæi, S. Jacobi, S. Martini, S. Georgii, S. Joannis, S. Magdalenæ, S. Mamedæ, S. Chriſtophori, S. Laurentii & magnam partem S. Sebaſtani de Mouraria.

Quartus dicitur S. Annæ, qui triangularis eſt formæ, & medius inter Caſtelli montem, & S. Ro-

chi,

chi. Ad radices illius verſus Orientem itemque verſus Occidentem duæ ſunt valles oblongæ, quæ terminantur inter hanc vallem quæ inter Caſtellum & S. Rochum interjacet; in tertia hac viſuntur parochiæ Conceptionis, S. Juliani, S. Nicolai & S. Juſtæ; in orientali autem valle viſitur parochia dos Anios, in qua ſunt 933. foci, & bona pars parochiæ S. Sebaſtiani, in qua ſunt foci 870. occidentalis denique, quæ deſinit ad S. Sebaſtianum de Pedreira, & quartam partem leucæ in longitudinem patet, ab una parte grandibus & nobilibus ædificiis ornata eſt, ab altera fertiliſſimis hortis conſita; continet parochiam S. Joſephi, in qua 620. foci, & magnam partem parochiæ S. Sebaſtiani de Pedreira.

Quintus mons dicitur S. Rochi, qui à porta do Ouro ſecundum vallem quæ media eſt inter ipſum

& montem Caſtelli, ſenſim ad S. Rochum aſcendit, rurſuſque per anguſtam vallem ad ripam fluminis deſcendit. Continet magnam partem parochiarum S. Juliani, Juſtæ, Joſephi & Nicolai; parochiam martyrum Trinitatis, Loreti, & bonam partem parochiæ S. Pauli.

Sextus mons à quinto verſus Occidentem, dicitur vulgo das Chagas, id eſt quinque plagarum Domini; propter Eccleſiam quam hic ædificarunt nautici homines qui in Indiam navigant; præter hanc autem continet tres parochias, videlicet majorem partem parochiæ Loreti, partem parochiæ S. Catharinæ & S. Pauli.

Septimus mons S. Catharinæ montis Sinai, qui verſus occidentem à Sexto ampliſſima valle diviſus.

Cæterum in civitate Oliſiponenſi quadraginta ſunt parochiæ,

quæ

quæ à noſtra Sennora de olivis ad noſtram Sennoram de vinda, duarum leucarum intervallo continentur. In quibus parochiis, ratione ſuperioribus annis accurate ſubducta (peregrinis omnibus exceptis atque advenis Portugallis nequaquam annumeratis) fuerunt ſupra viginti novem millia familiarum; & centum & decem mille & octingentæ animæ; præter trecentos clericos in eiſdem eccleſiis miniſtrantes. Sunt in eadem viginti monaſteria religioſorum, in quibus variorum ordinum monachi mille trecenti ſexaginta quinque; & octodecim religioſarum virginum, in quibus itidem variorum ordinum monachæ mille octingentæ & triginta.

In macello Oliſiponenſi quotannis mactantur undecim millia boum, centum millia ovium, quindecim millia caprarum. ita ut vectigal carnium in macello ve-

neuntium in annos ſingulos locetur quinquaginta quinq; millibus ducatorum. Anno 1617. è Braſilia Oliſiponem advectæ ciſtæ Sacchari 26413, quarum ſingulæ ut minimum quindecim arobas pendunt. Ex Madera autem & Inſula S. Thomæ ut minimum 10000. Eodem anno in oppido Vianæ venditæ fuere ciſtæ 5000. Notandum: in unam navem quam vocant Caraquam, cum ſuis armamentis & nautarum ſtipendio (mercibus omnibus exceptis) antequam è portu Oliſiponenſi egrediatur, impendi 127500. ducat.

Porro quinque ſupra dictorum montium firmo muro cincti ſunt, in quo ſunt ſeptuaginta ſeptem altæ turres & viginti duæ portæ ad ripam fluminis, & verſus terram ſeptendecim, tantus autem concurſus è vicina regione fit ad urbem, ut à curioſis obſervatum ſit, per portam S. Antonii in dies 1500. jumen-

jumenta ingredi; per S. Vincentii ſupra mille; per S. Crucis ſupra 900; & per Spei ſupra 1200. farina onuſta & fructibus omnis generis.

Inter Civitatem hanc & Caſcaiis quinque leuc. intervallo ſex ſunt arces; quarum prima, munitiſſima & ſplendidiſſima eſt Belem, in qua multæ machinæ bellicæ diſpoſitæ.

Secunda maxima, multiſque propugnaculis & machinis inſtructa, arx S. Juliani, ad ipſum Tagi æſtuarium, ubi mari miſcetur; in qua ſeptuaginta majora tormenta bellica & præſidium quadringentorum militum.

Tertia quæ Cabeca Secca dicitur, in medio æſtuario, ſitu à natura munitiſſimo.

Quarta arx S. Antonii, à monaſterio ejuſdem nominis illi vicino ſic dicta.

Quinta denique in oppidulo Caſcaiis, omnibus rebus ad pro-

 pulſan-

pulſandas hoſtiles naves abunde inſtructa.

Ut autem intelligatur, quantum hæc civitas in mari poſſit, obiter hic annotandum; præter Claſſem qua Rex Sebaſtianus copias ſuas in Africam traduxit, quæ ſupra mille velis conſtabat: cum Philippus II. Caſtellæ Rex Portugalliam intraret, & Gallorum claſſis cui Philippus Strozza præerat, metueretur, viginti duarum dierum ſpatio XXVII. majores naves hic inſtructæ, cum quibus Marchio S. Crucis Gallorum claſſem profligavit. Anno autem CIↃ IↃ LXXXIII. claſſis centum & ſeptem navium ſub Marchione S. Crucis hinc profecta Terceranos rebellantes ad obſequium reduxit. Anno dein CIↃ IↃ LXXXVIII. in formidabili illa claſſe qua Hiſpanus Angliam invadere propoſuerat, tredecim Portugallicæ, qua Zabræ, qua Galeones, fuerunt; inter

ter quas eminebant Galeon S. Martini, qua dux Medinæ vehebatur & mille milites: & S. Joannis qua octingenti milites, & denique S. Matthæi qua ſexcenti.

Sunt in hac civitate varia armamentaria, quibus ſunt multa tormenta, & omnis generis apparatus bellici & nautici.

Præterea in ambitu urbis ad quinque leuc. veluti circino circumducto, hæc ſunt oppida & pagi. Primo oppidum Caſcaiis, quod comitibus Monſanti paret, familias numerat circiter nongentas, in duabus parochiis degentes, in quibus ſunt perſonæ 3500. Suntq; in illius ditione tres aliæ parochiæ Alcabedecæ 350. focis conſtans, perſonis, 1500. S. Domingo de Rana 150. foc. perſon. 500. Carcauelos 140. foc. perſon. 400.

Duabus à Caſcaiis leuc. ſitum eſt oppidum *Collares* omni fructuum genere abundans, quorum

vecti-

vectigal quotannis ad mille quingentos coronatos aſcendit: unam habet Parochiam 180. foc. in quibus 800. perſ. Ab hoc unius leuc. intervallo diſtat antiquiſſimum & nobiliſſimum municipium *Sintra*, quod Regnis Portugalliæ attribui ſolet, quæ in illius diſtrictu poſſident ſex ditiſſimos prioratus; quorum prior qui S. Martini dicitur, in ipſo municipio ſitus 386. focos complectitur, in quibus animæ 1389. Secundus S. Mariæ 90. focorum in quibus 290. animæ: Tertius S. Michaëlis; qui licet tantum 40. foc. & 80. perſon. contineat, tamen annuatim mille ducatos reddit. Quartus S. Petri 170. foc. 630. animar. Quintus Terrugem 150. foc. 560. animæ. Sextus Eccleſia nova 196. focor. in quibus animæ 690. Præter hos prioratus ſex parochias habet annexas, in quibus ſunt 1203. foci, animar, 4000.

Duabus

Duabus à Sintra leucis ad Orientem jacet municipium Chileiros 95. focor. in quibus animæ. 279; & ab hoc mediæ leucæ itinere ad Orientem Mafora duabus conſtans parochiis; in quibus foci 350. animæ 1220. Sequitur deinceps Rüda in qua duæ parochiæ, in quibus 430. foci, animæ 1500.

Porro ad ripam Tagi, unam habet parochiam, 180. foc. 600. animas.

Villafranca municipium dives, una hic parochia, 900. foci & ſupra 3500, animar.

Huic vicina Alhandra, Archiepiſcopi Oliſipònenſis municipiũ, una hic parochia 650. foci, 200. animar. Sequitur deinde Alverca ad Regem pertinens, una parochia 340. foci, 1180. animæ.

Povoa de don Martinho, quod eſt Comitis de Villa nova municipium, una parochia 270. foc. 600. animæ. Hinc jam in agrum Oliſiponen-

ſiponenſem tranſitur. qui incipit à Villa longa, ubi una parochia, 460 foci, 940. animæ. & ne minutatim cætera perſequamur, in diſtrictu ſive ambitu quinque leucarum ſupra dicto, parochiæ cum ſuis templis ſunt quinquaginta & novem, 13403. foci. 46400. animar. E quibus frequentia Civitatis Oliſiponenſis cenſeri poteſt.

Trans Tagum autem in ſimili diſtrictu & diſtantia à civitate ſunt municipia aut pagi viginti novem cum ſuis parochiis, in quibus numerantur 7177. foc. & 26386. animæ.

Denique tam in Civitate quam in prædicto circuitu circulari ſunt 118. parochiæ, 173217. animæ. Præter religioſos & religioſas.

Hactenus ex Oliveira.

LUSI-

LUSITANIÆ
loca aliquot deſcripta.

Ab And. Reſendio.

L*Agos* olim Lacobriga, nobiliſſimum noſtro ævo oppidum, frequenſque, ac nuper à Sebaſtiano rege in civitatis titulum & honorem evectum; ſicut & Faro à Joanne III. Sebaſtiani avo.

S. Iacobus de Cacem oppidum in excellenti colle ſitum, qui proſpectum maris aperit.

Sinis maritimum oppidum, & propter piſcationem non parum vicinæ regioni conducibile.

Eluas urbs fertilitate ſoli & nobilitate civium ut poſtremas non fert, ita olei bonitate, ſine controverſia, primas obtinet.

Ab Io. Antonio Viperano.

ALmerinum eſt pagus è regione Santarenæ (quod oppidum veteres Scalabim appellarunt) inter quæ fluv. Tagus fluit XL. M. P. ſupra Oliſiponem. Locus planus & patens, à dextra & ſiniſtra collibus late cinctus, frugum ferax, venatione amœnus, hyeme ſaluber, regiis ædibus nobilis; ubi Portugallenſium Reges hyberno tempore propter aëris temperiem vitam degere conſueverunt.

Tomar eſt oppidum, (quod veteres Neobantiam appellarunt) in Ciſtagana inter Scalabim & Conimbricam, ab hac 36. ab illa 24. m. paſſ. diſtans, in longa ſed anguſta planitie; quam à dextra fluvius non longe illinc oriens abluit, à ſiniſtra colles vitibus & olivis conſiti cingunt; in quorum ſummo, qui oppido imminet, templum eſt antiquum & auguſtum

ſtum, ac templo juncta ingens ac pulcherrima domus, olim militum Templariorum, nunc Chriſti militiæ Fratrum.

E Vaſconcellio.

MOns Sintræ ſatis navigantibus notus: apprime viridis & amœnus, ſi ibidem æſtum velis ſuis menſibus declinare. Plurima in hoc monte viſuntur non curſim attingenda, ſed memores promiſſæ brevitatis, aliqua tantum perſtringemus: In ſummo, mirumque in modum acuto vertice, videre eſt affixum prærupto ſaxo monaſterium S. Hieronymi, in cujus ædificationem numquam ſatis admireris, ſi locum, ſtructuram & ædificii magnitudinem contemplêris. Eſt illud S. Mariæ à Rupe dicatum, opus univerſum lapicidarum opera & ferro incuſſorio duro in lapide excavatum, ita ut pergulæ cubiculares Monachorum

& domus reliquæ Monaſterii uſui neceſſariæ, quin & templum ipſum, ac vicinæ excipiendis hoſpitibus ædes ſatis amplæ, ob aſſiduam frequentiam eorum, qui ad novendiales preces illuc ventitant, in rupe ſint exciſæ. In atria & alia monachorum viridaria, ubi plurimæ pomorum feraces coluntur arbores, nec non ſuaves herbæ, terra aliunde convecta fuit. Monaſterium efficit ſpectabile jucundiſſimus undiquaque proſpectus: quem, qui plurima videre prẹalta loca, omnibus amœnitatibus anteponunt; parte enim alia ſeſe prẹbet Oceanus: ad montis latera valles apparent oculis jucundiſſimæ, in quibus omnis generis arbores, tam pomis quã frondibus commendatæ: è radicibus longiſſimæ extenduntur planicies pecoris & tritici feraces; qui proſpectus adeo multiplex & varius, neſcio quam incondito ac lapidoſo

monti

monti conciliat venuſtatem. Ad latus aliud, infimo in monte prope maris oram, qua aliquantulum mare ſubintrat, olim fuit antiquum templum Soli & Lunæ conſecratum, cujus adhuc extant veſtigia. Montem verſus continentem attingit vallis leucæ ſpatio in longitudinem, Luſitani vocant Collares (quaſi dicas monilia) ab oppido hujus nominis juxta Oceanum ſito. Vallem hujus magnitudinis, aut viſui pulchriorem aut uſui commodiorem univerſa in Europa nō facile reperies. Eſt undique pomiferis arboribus conſita, quæ adeo ſunt fertiles in eo ſolo, ut ſeſe undique certatim rami permiſceant, & vix infra ambulantibus liber pateat ſuſpectus cœli, foliorum diverſitas conſimili in viredine mirifice intuentium oculos oblectat. Ex hac una valle maxima ex parte alitur Ulyſippo: inde enim diebus ſingulis, tam

hyeme quam æſtate onuſta pomis & oleribus jumenta, civitatem ingrediuntur; ut omittam, quæ vinum ac triticum ex eadem valle ſolent aſportare. Decimæ pomorum quæ Regi ſolvuntur (*cizas* vocant Luſitani) in annos ſingulos, quingentos aureos ſupra duo millia efficiunt.

Ex eodem Reſendio.

MAuram inſigne oppidum, Novum fuiſſe Arucci, ex cippo, quem ibi legi, perſuaſum habeo. *Iuliæ Agrippinæ Cæſaris Auguſti Germanici matri Auguſtæ nova civitas Aruccitana.* Novum autem Arucci dici puto, quoniam adhuc ſupereſt Arucci vetus, nomenque retinet. Vulgo enim *Arouche* dicitur, proferturque plane græce, ut à Ptolemęo vocatur. parum tamen jam frequens eſt Arucci vetus. In territorio quoque oppidi ejuſdem multa anti-

antiquitatis ſuperſunt veſtigia.

Myrtilis, quam Mertolam appellamus, Anæ fluvio eſt impoſita, multis antiquitatum monumentis plena, cippis, columnis, ſtatuis, quibus tam Gothi quam Mauri ad reficiendos muros pro cæmentis abutebantur, ut erant & hi & illi ingenio plane barbaro. Abeſt à pace Julia juſtis XXXVI. paſſ. millibus, hoc eſt, noſtratibus novem leucis, quod Antoninus in itinerario dixit.

Olim vocatam *Balſam* eam eſſe conjicimus, quæ noſtro tempore *Tavilla* nominatur, maxima Algarbii civitas. Ejus præter Pomponium, meminere Plinius, Ptolemæus, & in itinerario Antoninus.

Orichienſis ager, Turditanis ac Celticis junctus, regionem parvam efficit, octo vel ad ſummum decem oppidorum præter vicos ignobiles. Nomen accepit ab

Orichio regionis nobiliori oppido, & quia campeſtris ager eſt, frumentarius ac paſcuus, vulgo campus Orichienſis appellatur.

Ab Helvis digredientem intercipit nobiliſſimum oppidum, Brigantii ducum ſedes, quod ab amœnitate Luſitanus idiotiſmus Villam vizoſam nominavit. Proſerpinæ ibi delubrum fuit, ubi modo S. Jacobi ædes eſt, in ſuburbio.

E Scholiis Jacobi Menoetii ad Libros Reſendii.

Vrbium, civitatum & oppidorum nomina Latina & vulgaria.

FOrum Limicorum.
Ponte de Lima.
Næbis.
Neiva.
Bracara Auguſta.
Bragua Colonia.
Aquæ Flaviæ.

Cha-

Chaves.
Concia ſive Contium.
Miranda de douro.
Calem.
O Porto.
Lama & Lameca.
Lamego.
·Lancobriga.
A Feira.
Talabrica.
Aveiro.
Æminium.
Agueda.
Conimbrica.
Condexa à Velha.
Seilia.
Seire.
Eburobritium.
Euora de Alcobaza.
Collipo.
Leiria ex ruinis.
Scallabis ſeu Julium præſidium.
Santarem.
Jerabrica.
Povos.

Moro.
Almoroul ou Punhete.
Olyſippo felicitas Julia.
Lixboa.
Tubucci.
Abrantes.
Fraxinum.
Alpalhano ou Gaviau.
Igædita.
Idanha, Velha, Aguarda.
Amœa.
Portalegre.
Medobrica.
Aramenha.
Ad ſeptem aras.
Azumar.
Elteri.
Altar do Chano.
Matuſarum.
Ponte do Sor.
Aritium prætorium.
Benavente.
Equa bona.
Couna.
Cetobrica.

Setu-

Setuval.
Ceciliana.
Agualva ou Agoa de Moura.
Malceca.
Marateca.
Salucia urbs Imperatoria.
Alcacer do Sal.
Ebora, liberalitas Julia.
Euora.
Calantica.
Arrajollas.
Ciellium.
Ceice vinto de Tomar.
Saurium.
Soure.
Helvii.
Elvas.
Nova civitas Aruccitana.
Moura.
Serpa.
Serpa.
Pax Julia.
Beia.
Merobrica.
Mertola.

Lacobrica.
Santiago de Cacem Lagos.
Portus Hanibalis. (ver.
Villa nova de Portimano ou Al-
Oſſonoba.
Eſtoi prope Pharum.
Balſa.
Tavilla.

Fluviorum nomina.

nas.
Godiana.
Avus.
Rio Ave.
Minius.
Minno.
Tagus.
Tejo.
Callippus.
Cadam.
Durius.
Douro.
Limia ſeu Lethe.
Lima.
Vacua.

You-

Vougua.
Munda.
Mondeguo.
Tamaca.
Tamagua.
Cuda.
Coa.
Ozecarus.
Zezere.
Subur.
Sor.
Ancus.
Rio de Soure.
Seilia.
Seire.
Æminium.
Rio d'Agueda.
Celandus.
Rio Grefones.
Cadavus.
Rio Cavado.
Malceca.
Marateca.
Ceciliana.
Agualva ou ague de Moura.

De

De Academia Conimbricenſi.

E PETRO DE MARIZ.

PRima hujus Academiæ inſtitutio debetur Regi Dionyſio; quidam primitus in hac urbe locatam volunt, alii Olyſſipone huc traductam: & quidem in civitate Olyſſipone inſtitutam anno milleſimo ducenteſimo nonageſimo primo. verum propter diſſenſiones & certamina inter cives & Scholares ad Conimbram ab eodem Rege tranſlatam anno milleſimo treceteſimo & octavo; alii denique ſub pontificatu Joannis XXII. inſtitutam volunt. Sed fieri poteſt ut demum à Joanne privilegia pontificia fuerint impetrata.

Lectiones autem primum habitæ Theologicæ in quibuſdam monaſteriis: aliarum ſcientiarum, & artium in ædibus Lectorum. Deinceps omnes habitæ in ædibus jun-

junctis palatio Principis, ubi hodie eſt Collegium S. Pauli. Stipendia autem profeſſoribus ſolvebantur ex Eccleſiis de Pombal & Soure, poſtea Magiſter & conventus Chriſti, illud onus in ſe ſuſcepit.

Verum quia Civitas Olyſippo opulentior erat & peregrinis ob commercia oportunior, Academia rurſus anno milleſimo, treconteſimo & quinto, eó fuit translata à Rege Ferdinando, primi inſtitutòris pronepote: habebanturque lectiones in Moneta veteri; uſque ad annum milleſimum quadringenteſimum trigeſimum primum, quo Infans D. Henricus fama celeberrimus inter ætatis ſuæ principes & filius Joannis primi, eis donavit proprias ædes in quibus habitabat: & addidit magnos cenſus annuos, accivitque doctiſſimos & ſapientiſſimos viros, ampliſſimaque privilegia impetravit; quo factum eſt ut ſupra

modum illis temporibus Academia illa Olyſipponenſis floreret. Accidit ut eodem tempore commercia propter navigationes in Africam aliaſque partes tum primum tentatas & magnum incrementum quotidie capientes, ſupra modum augeri, maximumque peregrinorum mercatorum confluxum fieri, ut tranquillitas ſtudiorum plarimum interturbaretur; quare denuo conſultius viſum Academiam ad Conimbricam reducere; neque enim alius in toto Regno locus reperiebatur opportunior; aeriſque bonitate & terræ fœcunditate præſtantior, amœniorve: ea tranſlatio facta ſub Joanne tertio: accerſitique ex omnibus pene mundi partibus viri doctiſſimi in omnibus facultatibus & literis. Varia primum loca attributa, donec anno 1548. collegium regale ædificatum fuit, in quo Magiſtri Pariſiis accerſiti le-

ctiones eo anno inchoarunt; quanquam poſtea locus mutatus prout adhuc hodie viſitur. Idem Rex plurima collegia conſtruenda præcepit, largeque dotavit: adhæc annuos reditus iñ ſtipendia Profeſſorum amplificavit & roboravit.

Cœli ſolique qualitates.

Ex

NICOLAO d'OLIVEIRA.

OPtima ratione dici poteſt & affirmari, Regnum hoc ſitum eſſe in formoſiſſima, belliſſima, & temperatiſſima parte mundi, non ſolum propter peculiarem ſuam pulchritudinem & fertilitatem (quæ ſane maxima eſt, licet ſatis indiligenter culta videatur) quia indigenæ magis inclinant ad militiam quam agriculturam)

turam) ſed potius quia ſitum eſt in medio quaſi maximorum & fœcundiſſimorum regnorum, quæ illud veluti ventriculum undique alunt; adveniunt enim inde per multas partes commeatuum abundantia & omnis generis merces, tam rerum quæ in illis naſcuntur, uti vini, quod plurimum obtinet & præſtans; & olei, cujus in Sanctareno ſolo tanta eſt abundantia ut meminerim me ſæpe audire ex incolis illius tractus, ſi effunderetur oleum quod tenent, naſciturum inde fluvium haud parciorem Tago; & Olivarum ejuſdem tractus; utriusque autem tam olei quam Olivarum muria conditarum ad ſolum Belgium quotannis evehuntur ſupra tria millia piparum, præter ea quæ alio transferuntur; præſertim in Regna & provincias quæ armis ſubacta ſunt: & tritici, quod quidem ipſis indigenis poſſet abunde ſufficere,

niſi

niſi tantus eſſet concurſus peregrinorum ad hoc Regnum & tanta copia ad Colonias extra Regnum deportanda eſſet. Et ſi omnę ſolum, & campeſtria loca colerentur & in eis ſementis fieret (ut ſane nullo negotio poſſet) etiam ſufficeret frumentum aliis regionibus communicandum; quum jam ab aliis accipiatur. Cujus rei argumentum eſt, quod anno 1608. ne quidem fœcundiſſimo, decimæ duorum oppidorum Serpæ & Mouræ reddiderint mille quadringentos & ſeptuaginta modios tritici, pręter hordeum, milium & legumina; non computato proventu Eccleſiarum, monaſteriorum & commendatariorum, qui decimas nullas ſolvunt. Quin etiam quicquid in hoc Regno terra producit, in ſuo genere præſtantiſſimum eſt totius mundi, & validiſſimum. Piſcibus abundat haud ſolum marinis;

haud ſemel obſervatum una vice ad capiendas Sardinas egreſſas barcas centum duodecim, quarum ſingulæ vehunt viginti millia & ſupra; præter alia navigia, quæ pertinent ad *Paimogo* juxta *Peniche*, ad *Caſcais*, *Cezimbram*, *Setuval*, *Cines* & alia oppidula Algarvienſis oræ. Et reddit decima horũ piſcium in urbe Oliſiponenſi ſoli duci Braganziæ duo ſupra viginti millia cruzatorum. Carnis maxima eſt copia præſtantiſſimæ, imprimis bovillæ, ovillæ, caprinæ, & porcinæ. Obſervatum, in ſola civitate Oliſiponenſi quotannis in publico macello cædi ad minimum, undecim millia capita armentorum, centum millia ovium, quindecim millia caprarum & hircorum, præter ea animalia quæ alibi privatim mactantur, atque in monaſteriis & nobilium palatiis, & domibus privatorum. Vectigal autem carnis in

macel-

macello publico quotannis redimitur quinquaginta & quinque millibus cruzatorum. Præter magnum numerum boum & porcorum qui mactantur ad regiam claſſem. Caſei hujus provinciæ facile reliquos totius orbis excellunt. Avium ſilveſtrium omnis generis infinitus numerus ; uti & ferarum. Maximi greges porcorum, non ſolum ſilveſtrium, ſed domeſticorum, ita ut uno anno in publico macello mactentur ad minimum viginti quatuor millia. Salis quoque in hac provincia maxima eſt abundantia.

Ex P. Antonio Vaſconcellio S. Jeſu Sacerdote Theologo Olyſiponenſi.

Vniuscujusque Regionis Vbertas.

1 DE Provinciarum Luſitaniæ, ubertate (inquit) ſingulatim acturus jure ſuo à Tranſ-

tagana exordiar, quæ humano victui partem ſuppeditat præſtantiorem. Eſt hæc inter reliquas Luſitaniæ provincias tritico laudatiſſimo commendabilis, neque aliud tota in Europa colligitur præſtantius, cum primis quod Eborenſe profert ſolum, & illi adjacentes agri ad Pacem Juliam, Serpam, Mauram & Orichienſem uſque tractum. Quocirca uti Romanæ Reipub. horreum antiqui ſcriptores Siciliam appellarunt, unde Romana civitas alebatur, Regni etiam Luſitani horreum jure dicemus Regionem Tranſtaganam, inde enim, quod ſingulis annis aſportatur frumentum, Ulyſiponem Regni caput, & ejus conterminos alit incolas, è quibus Regnum haud mediocrè coaleſcit. Vinum cum primis nobile, & lectiſſimum abunde profert oleum: Caro inde pinguiſſima & pecudum & armentorum; Tranſta-

gani

gani caſei commendatiſſimi: poma & mitjora & inter omnia ſucci & viriditatis tenaciora; ſolum univerſum valde craſſum ac pingue: in hac item provincia pretioſiſſima ſecantur marmora.

2 Interamnenſis regio tam hominum, quam rerum omnium, quæ ex terra gignuntur, opulentiſſima: illius medium Archipræſul obtinet Bracharenſis, quem penes Hiſpaniarum primatus (licet adhuc lis indiremta à multo jam tempore cum Toletano præſule intercedat) ſub illo octingenti fontes ſacri baptiſmatis numerantur: Portuenſis Epiſcopus in eadem ſimiliter ſacros fontes numerat ad ſexcentos: ultra has Epiſcopales ſedes, quinque reſtant aliæ, quas Canonicales ſive collegiatas dicunt Eccleſias. Ultra centum & triginta Monaſteria tantula viſuntur in provincia, alias ut prætercam magnorum redituum Eccle-

ſias(vulgo dicimus *Abbadias*)nec nō plures alias (Comendas dicunt Hiſpani) quæ ſacræ militiæ hominibus peropulentas impendunt decimas: Harum alias Chriſti milites, & S. Joannis à ſacrę urbis Xenedochio tenent alias, omnes vero perhonorificæ ſunt pariter & ditiſſimæ. Colligit ex hac provincia Rex in ſingulos annos viginti ſupra centū aureorum millia, totidem privati Domini ac Dynaſtæ: neque id mirum videbitur Eccleſiæ reditus ampliſſimos conſideranti: conſtat ſiquidem breviſſimo Regionis ſpatio ultra millionem aureum ſacris hominibus perſolvi. Excipit quinq; maris oſtiis naves; amplectitur ſeptemdecim munita oppida; totidem abſque muro præter duas quas dicimus civitates. Bracharenſem & Portuenſem. Eſt purum hic cœlum & ſalubre, & ſolum adeo mite ob perennes aquarum fontes, ut

mirum in modum hominum ſoboles nutriatur: mulieres ad quinquageſimum uſque annum filios edunt, qui cœli, ac ſolis benignitate ferme incolumes educantur, & ad longiſſimam ſenectutem eaſdem ob cauſas ætatem agunt. Unde in qualibet ferme domo maritali ad viginti & quinque liberos invenies; ex quo innumera hominum coaleſcit multitudo, ut ſuperiori ætate videre fuit, cum militaris cenſus ex more per ſingulas fiebat provincias Luſitaniæ, tunc enim Barcellorum in finibus (oppidum eſt Interamnenſe) duobus & triginta ſub ſignis, armatorum millia ſeptemdecim cenſa fuerunt. Incolę triticum aliquibus ſerunt in arvis, cæteroqui ſecale & milium ab inſita terrę vi colligunt abundantius. Pomis cujuſque generis eſt uberrima: paſcua carnem ex univerſa Hiſpania teneriorem & guſtui jucundiorem: ora mari-

tima piſces præſtat delicatiores. Uvæ altis ex arboribus ſuſpenſæ magnam vini edunt copiam, non illud dulce quidem admodum & pretioſum; ſed quod alendæ plebi ſit abunde. Venationi & aucupio eſt maxime opportuna, alitibus enim, ſylvarumque animantibus abundat, neque aliunde canes venatici, aut volucres rapaces ſunt quærendæ; utrumque enim nec ignobile tellus præſtat. Ita denique regio iſta aſpectui eſt jucunda, hominum uſui utilis & accommoda, ut eam non immerito mortalem paradiſum poſſimus nuncupare; in illa ſiquidem toto anno vernantes flores invenies; quaſi ver primum ſemper efflоreſcat: unde Strabo Luſitaniam ſolum fortunatum appellavit.

3 Transmontana regio, qua Contium civitas & Brigantium & illuſtria aliquot oppida, nimis arida, ut ferme ſolent eſſe feraces

auri

auri regiones, & idcirco aliquæ ibidem ſunt à tranſanctis ætatibus aurifodinæ: alio Gallæcium, Legionenſe alio Regnum attingit: tritici, vini, olei ac totius generis pecudum ſatis ferax, ut ſibi non tantum, ſed conterminis victum præbeat.

4 Beira regio eſt amœniſſima, ob fluvios, qui eam pluribus locis interſecant; frumentum ſuis quod incolis ſit abunde tellus profert, ſecale & milium edit felicius; vinum eſt locis aliquibus maximè pretioſum. Ob aeris temperiem & amœnitatem plurima diverſi generis poma educat: mala, quæ ob inſitam toto anno viriditatem, appellamus *Verdeais*, mittit in reliquam Luſitaniam laudatiſſima; immenſam prope caſtaneæ creat vim, qua vulgus inops ſolet victitare, toto ſiquidem anno illam & mollem ſervant & fumo duratam. Magnos alit ovium greges ad

montis Erminii radices, qui in magnam regionis partem dum excurrit, plures ex ſe fluvios emittit & paſcua aſſiduo irrigatu præſtat pecori peraccommoda. In fluminibus (valde ſcilicet frigidis) troctę ſive tructæ, genus piſcis ſuaviſſimum, captantur, ex tota Hiſpania celebriores.

5 Ex Interamnenſi regione & Algarbiorum regno, tantam tamque tenuis lini copiam legunt incolæ, ut ex iis totum abunde Regnum veſtibus lineis reficiatur. Quin ibidem mulieres colo aliæ vitam alunt, aliæ ingentes telas conficiunt, quas in Legionenſe regnum & Caſtellanum mittunt venales: neque hæc vilis habetur merx inter eas, quæ in Hiſpanicas Indias aſportantur. In oppido Vimarano lineæ elaborantur filo ſubtili adeo ac delicato, ut nullibi terrarum aliæ videantur cum iis, vel ſubtilitate vel candore comparan-

parandæ: Regium vectigal, quod ex hujus tantum oppidi lineis comparatur, ſeptem ferme & octo plerumque efficit aureorum millia, ex quo facile, quantum privati colligant, apparebit.

6 Eſtremadura, cujus caput eſt Ulyſippo, feliciorem in Luſitania tractum occupat, in quo omnia, quę terra profert viſuntur laudatiſſima; ad hanc ſpectat provinciam Scalabitanus ager, qui cum Siciliensi poteſt tam pecoris, quam ſegetis ubertate contendere. Magnam ulterius producit olei copiam, quod in ſeptentrionales provincias & in Luſitaniæ vectigales quotidie navibus tranſportatur. Ulyſipponenſe ſolum eſt uberrimum, quod ibidem ſeritur triticum à Tranſtagano parum abeſt. Vina ad Tagi ripam celeberrima: prope fluvium multæ ſunt ſalinæ. Ex Cetobrica & Salacia lectiſſimum in varias regiones

mitti-

mittitur ſal, nec tanta umquam copia exhauritur.

7 Algarbiorum Regnum ultima Luſitaniæ pars, qua magis ad Auſtrum excurrit, ita ficetis eſt occupatum & vinetis (præcipuus eſt illo in Regno hic terræ cultus) ut aliquando à vicinia victum exigat, ſi annorum minus faveat clementia, ſed vicinum oppidum Mertola (antiqua olim Myrtilis Romanorum colonia) opem facile præſtat tritico, quod abunde ſuo ex agro legunt Coloni, neč minus etiam opitulatur Orichienſe arvum, quod proximo eſt in confinio. Eſt quidem verum, quod annis modice fertilibus, ſibi abunde triticum colligunt incolæ, & quod ad S. Vincentii promontorium ſeritur, cum optimo quolibet ex Hiſpania de bonitate contendit. Abundat vino nobili, & oleo, quæ ſimul cũ fico, uva paſſa, amygdalo, Thynno ac Sardinia

(com-

(communis eſt merx illius regionis) in exteras regiones transferuntur. Ad oram maritimam diverſi generis piſcatu & abundanti Conchylio victum facile parant incolæ.

8 Habet & Luſitania calidos fontes: inter quos primum merito ſuo obtinet locum, quem ab ebullientibus aquis vocant *Caldas*, prope *Obidos*, ubi Eleonora Joannis II. R. uxor, perilluſtre condidit Xenodochium, ampliſque reditibus locupletavit, unde omnibus qui illuc ventitant ſanitatis quærendæ gratia ſex ſtatis menſibus, gratis affatim omnia ad curationem neceſſaria impenduntur. Quin & medicum cum non exiguo honorario, & Pharmacopolam cum Apotheca omni medicamentorum genere referta aſſignavit, ut ſanitas ægrotantibus nullo pretio conſtaret. Alia ſunt Balnea Algarbiorum in regno, in oppi-

oppido Alvor, quæ Joannes II. Luſitan. R. petivit cum lethalis veneni quæreret medicinam.

9 In oppido Almada (contra Olyſipponem) eſt fons, cujus aqua morbo calculari habetur remedium valde præſens, unde multis ex locis exquiritur: illudque virtutis eſt argumentum, quod lutea quælibet vaſorum fruſta, ſi forte juxta canales, quibus aqua fluit, relinquantur, vel ipſa vicinia perfringuntur.

10 Præter aurum & argentum, quorum Luſitaniam olim feracem fuiſſe nemo ignorat, & ne nunc quidem omni exhauſtam: etiam ſtannum habet plurimum præſertim circa conventum *Lafoes*, ubi ſtanni fodinæ à Regiis quæſtoribus pretio locantur. Abundat quoque ferro, præſertim in oppido Penella; & multum quoque poſſet effodi ad Nabantium, ſed parcitur labori, quia Cantabria

tam.

tam vicina eſt. Plumbo quoque abundat prope Armenham dirutam modo civitatem, ad radices montis Erminii.

11 De pretioſis lapidibus, quanquam non plane deſtituta, non eſt quod glorietur: laudatiſſimum tamen habet marmor nivei candoris ita ut cum Alabaſtro certet. Omnium pretioſiſſimũ evellitur in oppido Eſtremotio, regionis Tranſtaganæ. In oppido quoque Viana prope Eboram aliud marmor candidum primæ notæ. Tingadæ in Ulyſipponenſi confinio, rubicundum venulis albis interſectum: aliud in oppido Bellas puniceum, ſubnigrius tantillum Hyacinthis orientalibus, ſed quod non parum habeat pulchritudinis: apud Caſcalium infra Ulyſipponem ſanguineo rubore: nigrum in Sintræ monte. De reliquis lapidibus, argillis, & ſimilibus, nimis longum foret hic dicere.

12 Com-

12 Commune condimentum humano victui tantopere neceſſarium, abundantiſſime edit ora maritima Luſitaniæ, non modo ipſi Regno, ſed & externis regionibus. Cetobrica (vulgo *Setuval*) unum Luſitaniç oppidum, ſeptentrionalibus provinciis communis eſt Salina, ex qua innumeræ quotidie naves ſolvunt onuſtæ ſale, qui nullibi viſitur melior aut candidior. Eſt aliud oppidum (nunc dicunt Alcaçer, à ſale Salaciam veteres jam Romani appellabant) quod in mediterranea Caſtellæ & Arragoniæ loca plurimum emittit: Sunt præterea alia loca quà marina attingit aqua, ſale abundantiſſima, ut ripæ Tagi & Algarbiorum ora, nec non oppidum *Averium*, è quibus præter eum, qui condiendis piſcibus & olivis inſumitur, poſſet educi quantum pluribus Regnis foret ſatis.

13 Quantopere optimo oleo abun-

abundet Regnum hoc, commercia fecerint fidem. Præfertur autem quod trans Durium naſcitur adeo ſubtile, aureum, & imprimis ſapidum, ut cum Venafrano conferri poſſit.

14 Vino quoq; abundat: quod præſtantitiſſimum in Algarbiæ regno & variis aliis locis æſtimatur.

15 Mel hic eſt ſuaviſſimum; album fere, vaſiſque exceptum ita obdureſcens, ut non poſſit dividi, quam vaſe fracto. Ulyſipponenſe & illius è confinibus, ob plurima roſeta & mali medicę flores, è quibus illud colligunt apes, eſt inter alia odoriferum & ſuave. Idem & de pluribus locis dici poſſet, ſi operæ precium eſſet.

E Duarte Nunez de Leano.[1]

PRæter Cryſtallum, cujus copia jam vilitatem meruit; in Regno hoc reperiuntur multæ gemmæ & precioſi lapilli. Duabus leu-

cis ab Olyſippone juxta *Bellas* oppidum Franciſci Correæ, repe-riuntur Hyacinthi optimi magna copia, tam in ſaxis quam ſeparatim, qui cum Orientalibus certant, niſi quod quidam eorum ſunt obſcuriores, minuſque pellucidi. In Villa Vizoſa principali urbe ducatus Brigantini, juxta viam quæ ducit ad Borbam, quæ diſtat dimidia leucâ, ad radicem montis reperiuntur in viſceribus terræ lapides virentes; quos græci vocant Cyaneos & nos *Turqueſas*, quorum multi certant cum Perſicis.

His annumerari poſſunt præſtantiſſima marmora de quibus jam aliqua diximus. Juxta Vianam (quam vocant *apar de Evera*) reperitur marmor candidiſſimum, è quo, quia ſaxorum aliorum penuria ibidem eſt, exſtructa ſunt templa omnia & pleraque ædificia; ipſaque itinera ſtrata. Villæ vizoſæ reperiuntur lapides viri-

virides valde pulchri, quorum copia in Hiſpaniam vecta, magnificum regis palatium quod vocant *Eſcorial* adornavit. Lapis niger elegantiſſimus, Ebeno æmulus, reperitur Sintræ, ſplendens, è quo præſtantiſſima opera fiunt. Prope Conimbricam, loco nomen eſt *Anaan*, effoditur lapis candidiſſimus, inſtar gypſi, ita mollis ut inſtar ligni ſe dedolari & formari patiatur, ita ut ex illo pulcherrima opera fiant.

Juxta oppidum *Setuval* abundat lapis diverſorum colorum candidi, rubri, carneique mirum in modum variegatus & tam pulchre diſtinctus ut induſtria humana factus videatur, vulgus per errorem vocat Jaſpidem: ex hoc in illo oppido omnia ædificia tam publica quam privata ſubſtructa cernuntur.

Gagates quoque reperitur in variis partibus hujus Regni, præ-

ſertim optimus in loco qui vulgo appellatur *Batalha.*

Celebrat & lapidis genus in oppido *Ruda*, ex quo oppidani furnos conſtruunt ad coquendos panes, mirabilis naturæ & proprietatis; quippe calorem pertinaciter ſervat, ita ut non ſit opus niſi ſemel matutino tempore ignem indere, ut toto die coquendo pani ſufficiant, atque adeo noctu biſcocto inſerviant. Quod tamen negant extra oppidum valere, raro naturæ miraculo. Molares lapides in Regno abundant; ſingularis bonitatis & duritiei: inter quos maxime laudantur qui juxta Cezimbram, Alvitum, & Conimbricam reperiuntur.

POR-

IV.

PORTUGALLORUM
Ingenia & mores.

REgnum hoc Portugalliæ reliquis Hiſpanię regnis populi multitudine & incolarum atque advenarum frequentia multum præſtat ſingulis; & auſim dicere pene tribus quatuorve aliis junctis. Id ex agrorum cultura, & maximis decimis, ex coloniis quas in varias mundi partes ſine ſui diminutione emiſit, facile colligi poteſt. Advenas autem alliciunt opulentiſſima commercia & portuum opportunitas & ſecuritas. Ita ut extra dubium ſit Regnum hoc longe populoſiſſimum eſſe. De gentis moribus difficile judicare, quum obnoxii aut ipſi ſe nimium forte laudent, infeſti aut ignari varie culpent. Laude bellica ſuperioribus annis quum ſuis Regibus

gnæ virtutes, ita & vitia; nec hoc illis proprium, omnibus pene nationibus hoc commune: & nemo niſi in ſuis contemnit, quæ aliis exprobat. Sed videamus quæ de iis prædicentur à ſcriptoribus.

E Vaſconcellio.

IOannes Barrius Ic. & graviſſimus Hiſtoriæ Luſitanicæ ſcriptor, ſe teſtem fatetur oculatum, in oppido Villæ Regalis quandam Iſabellam Ribeiram agnoviſſe, quæ ſuperſtites ſibi filios, nepotes ac pronepotes ſexaginta viderat ſupra centum.

Addit & aliud exemplum Vaſconcellus è fide Socii ſui, ſenis cujuſdam centenario majoris, qui quadringentos numerabat. Loquitur autem de provincia Interamni; atque ita proſequitur. Tanta igitur indies plebis multitudine ſuccreſcente vix homines natale caperet ſolum, niſi eorum

quotidie examina in Regnum undique prodirent, ad alienos agros mercede colendos & maturas ſegetes demetendas; quo fit ut Regnum univerſum iis hominibus ſit refertum. In omnes item Luſitaniæ expeditiones diſcedunt, ubi & labore, cujus ſunt admodum patientes, & armis egregiam Reip. navant operam. Cæteros inter in re militari, animis & manu promtos præcipuam ſunt adepti laudem, quos oppidum educat Valdeves, ex quo milites magni nominis ſunt egreſſi. Ex nobilioribus hujus provinciæ hominibus, tam armis, quam literis præſtantes plurimi huic Regno decus maximum & gloriam attulere. Antiqua ſi tempora repetamus, ab hac una provincia ferme omnes & Luſitaniæ & Caſtellæ illuſtriores familię trahunt originem & noſtra adhuc ætate ſua ibidē ſervant gentilitia, Ludovicus Vertemanus Venetus

Sena.

Senator, quum toto pene orbe luſtrato ad Luſitanos in India belligerantes veniſſet, hoc eis teſtimonium dedit: *Ego univerſum terrarum orbem peragravi, multis ſæpe bellis interfui, ſed hac gente Luſitanorum fortiorem vidi neminem.*

Alphonſus Mendoz S.I. in Oratione ad Philip. III. Fidei in Deum pediſſequa eſt fides erga Regem, quæ ſic eluxit ſemper in Luſitano, ut nihil ſupra poſſit excogitari. Pro tempore ſufficiat illud præconium. At cujus hominis? Non domeſtici, ſed externi, ſed Belgici, ſed Salmanticenſis Profeſſoris & diligentiſſimi Chronicon Hiſpanicorum contextoris. *Quæ nam gens,* inquit, *toto reperitur orbe Regi ſuo obſequentior, quam Hiſpani, quos cum quotidie reges ſui in remotiſſimas regiones, & alio, ut ille ait, ſole calentes, ad oppugnandos barbaros mittant, ea*

accinguntur alacritate, quaſi ſine pulvere & ſanguine rem eſſent domi geſturi; cujus rei meo judicio, merito palmariam ſibi laudem vendicant Luſitani, adeo Regi ſuo dediti, quaſi ex unius vita, vita penderet omnium; ita ille conceptis verbis.

Duarte autem Nunez do Leano. Fidelitatis & obſequii, Portugallorum erga Principes ſuos legitimos exempla repetit inde à principio Regni; quum & Sancium primum ignavum Regem & rebus gerendis imparem; totumque in aliena poteſtate; ideoque à Pontifice in Concilio Lugdunenſi regno imparem declaratum; ad extremum vitæ obſequenter coluerint, & ne metu quidem dirarum pontificiarum ab obſequio & veneratione Regis ſui potuerint abduci. Plura exempla ibidem recenſentur, ſed ea producere non eſt opus, quum nemo hanc gloriam ipſis hactenus dem-

demſerit, quod principum ſuorum ſint amantiſſimi & obſequentiſſimi: modo ſint ex ſua gente & boni juris poſſeſſores.

Hujus fidelitatis & obſequii in Principes occaſione, commemorat idem author Regum viciſſim in obſequentes & fortes liberalitatem: Portugalli, inquit, ſerviunt Regi ſuo tanquam filii, atque ad eundem modum ab illis habentur. Primò Regum Portugalliæ conſuetudo non ſolum eſt alere ſuos miniſtros, ſed & liberos eorum ad idem miniſterium in aula aſſumere; ubi ad ætatem duodecim annorum venerint ſuccedunt parentibus ſuis in locum quem in aula tenebant, & recipiunt eandem mercedem (*Moradiam* vocant:) & matricula conſervatur in illum finem, ut conſtare poſſit quando filius parentis mercedem acceperit: datur autem ſingulis trimeſtribus; & dicitur Moradia, quia

quia miniſtri regii morántur in ipſius palatio. Ita ut omnes generoſi (*Fidalgos*) regni teneant ejuſmodi moradiam, & filii eorum, etiam nothi, ſed cum quadam diminutione. Iſtæ autem *Moradiæ* non ſunt æquales; ſed alii plus, alii minus recipiunt: ratio hujus inæqualitatis eſt, quod ſuperioribus temporibus omnibus domeſticis Regis victus ſuppeditabatur in Aula; quibus autem non libebat in Aula cibum ſumere, dabatur commeatus panis, vini, carnis, piſcium, fructuum, quo domi ſuæ utebantur. Hujus quoque diſtributionis ratio in libro erat deſcripta, una quum nominibus perſonarum; quæ proportione generis aut amplitudinis familiæ multum differebat. Deinde mutata eſt ratio iſta & pro victualibus, argentum dari cœpit, manente eadem inæqualitate. Et quia Moradiæ quantitas indicium erat nobilita-

tis aut meritorum familiæ, ejus augmentum ſupra modum ambitur; licet ægre à Regibus & raro obtineatur.

Idem Author celebrat ſingularem pudicitiam virginum Portugallicarum, quæ ita educantur ut non prodeant in publicum, niſi forte ad Eccleſias, & ne ad eas quidem niſi velatæ, ut facies earum conſpici non poſſit. Et matronarum quoque caſtitatem & fidem erga maritos: ita ut ſupra modum abhorreant ab adulteriis, & abhorreant ab iis quæ ſe coinquinarunt, eaſque, quæ vel male audiant, à conſortio ſuo ſegregent. Quin etiam eas minus amant quæ crebro nubunt, aut quæ numeroſæ prolis parentes, vel ad ſecundas nuptias tranſeunt.

Grande quoque probrum ducunt maritatæ, maxime nobiliores, abſente marito chartis aut alea ludere cum alienis, nec facile hoc

agunt niſi cum germanis aut conſanguineis.

Indecorum quoque exiſtimant vinum bibere.

Oeconomæ ſunt diligentes; & in omnibus domeſticis officiis admodum induſtriæ; in veſtitu decoræ & ſplendidæ, & munditiæ ſingularis.

V.

Regimen Politicum & Civile.

ANtequam ad hodiernum Regni regimen veniamus operæ pretium fuerit hic inſerere, antiquitatis gratia, Diploma datum in prima congregatione Regis Alfonſi, Henrici Comitis filii &c. in quo feruntur leges & agitur de Regni negotiis, & multis aliis rebus magni ponderis & momenti. Sicuti editum invenimus à Joanne Caramuele lib. 2. art. 4. quod

quod ita ſe habet. In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus Sancti: Trinitas inſeparabilis quæ numquam ſeparari poteſt. Ego Alfonſus Comitis Henrici & Reginæ Tarejæ filius, Magnique Alfonſi Imperatoris Hiſpaniarum nepos, ac pietate divina ad regium ſolium nuper ſublimatus. Quoniam nos conceſſit Deus quietari, & dedit victoriam de Mauris noſtris inimicis, & propterea habemus aliquantam reſpirationem; ne forte nos tempus non habeamus poſtea, convocavimus omnes iſtos: Archiepiſcopum Bracharenſem, Epiſcopum Viſenſem, Epiſcopum Portuenſem, Epiſcopum Colimbrienſem, Epiſcopum Lamecenſem. Viros etiam noſtræ Curiæ infra poſitos & procurantes bonam prolem per ſuas civitates, per Colimbriam, per Vimarances, per Lamecum, per Viſeum, per Barcellos,

cellos, per Portum, per Trancoſum, per Chaves, per caſtrum Regis, per Bouzellas, per Parietes vetulas (*luſitan. Paredes velhas*) per Senam, per Covilhanam, per Monte magiore, per Iſgueiram, per VillamRegis: & per (forte pro) parte Domini Regis Laurentius Venegas: & multitudo ibi erat de Monachis & Clericis, & congregati ſumus Lamegum in Eccleſia Sanctæ Mariæ Almacave, ſeditque Rex in ſolio regio ſine inſigniis regiis, & ſurrexit Laurentius Venegas Procurator Regis & dixit.

II. Congregavit vos Rex Alfonſus, quem vos feciſtis in Campo Auriquio, ut videatis bonas literas domini Papæ, & dicatis ſi vultis quod ſit ille Rex. Dixerunt omnes; Nos volumus quod ſit Rex. Ex dixit Procurator: quomodo er it R ex, ipſe aut filii ejus, aut ipſe ſolus Rex? Et dixerunt omnes, Ipſe in quantum vivet, & filii.

filii ejus poſtea quam non vixerit.
Et dixit Procurator: Si ita vultis
date ei inſigne. Et dixerunt om-
nes; Demus in Dei nomine. Et
ſurrexit Archiepiſcopus Bracaren-
ſis, & tulit de manibus Abbatis de
Laurbano coronam auream ma-
gnam cum multis Margaritis, quæ
fuerat de Regibus Gothorum, &
dederant monaſterio & poſuerunt
illam Regi. Et Dominus Rex cum
ſpata nuda in manu ſua, cum qua
ivit in bello, dixit: Benedictus
Deus qui me adjuvavit. Cum iſta
ſpata liberavi vos & vici hoſtes no-
ſtros, & vos me feciſtis Regem &
ſocium veſtrum. Siquidem me fe-
ciſtis, conſtituamus leges, per quas
terra ſit in pace. Dixerunt omnes;
Volumus Domine Rex, & placet
nobis conſtituere leges, quas vo-
bis bene viſum fuerit, & nos ſumus
omnes cum filiis, filiabus, neptibus
& nepotibus ad veſtrum mandare.
Vocavit citius Dominus Rex Epi-

ſcopos, viros nobiles & procuratores & dixerunt inter ſe: Faciamus in principio leges de hæreditate Regni. Et fecerunt iſtas ſequentes.

III. Vivat Dominus Rex Alfonſus, & habeat Regnum. Si habuerit filios Varones (*id eſt, maſculos*) vivant & habeant Regnum, ita ut non ſit neceſſe facere illos de novo Reges. Ibunt de iſto modo. Pater ſi habuerit Regnum, cum fuerit mortuus, filius habeat, poſtea nepos, poſtea filius nepotis, & poſtea filii filiorum in ſæcula ſeculorum per ſemper.

IV. Si fuerit mortuus primus filius vivente patre Rege, ſecundus erit Rex; ſi ſecundus, tertius; ſi tertius, quartus: & deinde omnes per iſtum modum.

V. Si mortuus fuerit Rex ſine filiis, ſi habeat fratrem ſit Rex in vita ejus: & cum fuerit mortuus, non erit Rex filius ejus, ſi non fecerint

cerint eum Epiſcopi & Procurantes & Nobiles curiæ Regis; ſi fecerint Regem, erit Rex: ſi non fecerint, non erit Rex.

VI. Dixit poſtea Laurentius Venegas, Procurator Domini Regis, ad Procurantes, Dicit Rex: ſi vultis quod intrent filias ejus in hæreditatibus regnandi, & ſi vultis facere leges de illas? Et poſteaquam altercaverunt per multas horas, dixerunt: Etiam filiæ Domini Regis ſunt de lumbis ejus & volumus eas intrare in Regno & quod fiant leges ſuper iſtud. Et Epiſcopi & Nobiles fecerunt leges de iſto modo.

VII. Si Rex Portugalliæ non habuerit maſculum, & habuerit filiam, iſta erit Regina, poſtquam Rex fuerit mortuus de iſto modo. Non accipiet virum niſi de Portugal: nobilis, & talis non vocabitur Rex niſi poſtquam habuerit de Regina filium Varonem; & quan-

do fuerit in congregatione maritus Reginæ, ibit in manu manca (*id eſt, ſiniſtra*) & maritus non ponet in capite Coronam Regis.

VIII. Sit iſta lex in ſempiternum, quod prima filia Regis accipiat maritum de Portugalle, ut non veniat Regnum ad eſtraneos: & ſi caſaverit cum Principe eſtraneo, non ſit Regina, quia numquam volumus Regnum noſtrum ire for de Portugallenſibus, qui nos ſua fortitudine Reges fecerunt, ſine adjutorio alieno per ſuam fortitudinem & cum ſanguine ſuo.

IX. Iſtæ ſunt leges de hæreditate Regni noſtri, & legit eas Albertus Cancellarius Domini Regis ad omnes, & dixerunt: Bonæ ſunt, juſtæ ſunt, volumus eas per nos & per ſemen noſtrum poſt nos.

X. Et dixit Procurator Domini Regis. Dicit Dominus Rex:

Vultis

Vultis facere leges de nobilitate & juſtitia? & reſponderunt omnes: Placet nobis, ſit ita in Dei nomine. & fecerunt iſtas.

XI. Omnes de ſemine Regis & de generationibus filiorum & nepotum, ſint nobiliſſimi viri. Qui non ſunt de Mauris & de infidelibus Judæis, ſed Portugalenſes, qui liberaverint perſonam Regis, aut ejus pendonem, aut ejus filium vel generum in bello, ſint nobiles. Si aliquis comprehenſus de infidelibus mortuus erit propter quod non vult eſſe infidelis, ſed ſtat per legem Chriſti, filii ejus ſint nobiles. Qui in bello mataverit *(id eſt occiderit)* Regem inimicum vel ejus filium & gancaverit *(id eſt acceperit)* ejus pendonem, ſit nobilis. Omnes qui ſunt de noſtra Curia & fuerunt de antiquo nobiles, ſint per ſemper nobiles. Omnes illi qui fuerunt in Lide (id eſt *pugna*) magna de Campo d'ouri-

quio, ſint tanquam nobiles & nominentur mei Vaſalli per totas generationes.

XII. Nobiles ſi fugerint de Lide, ſi percuſſerint cum ſpata aut lancea mulierem, ſi non liberaverint Regem aut filium ejus, aut pendonem pro ſuo poſſe in Lide, ſi juraverint falſum teſtimonium, ſi non dixerint veritatem Regibus, ſi male falaverint (id eſt *loquuti ſint*) de Regina, & filiabus ejus, ſi fuerint (id eſt *fugerint*) ad Mauros, ſi furtaverint de alienis, ſi blasfemaverint ad Jeſum Chriſtum, ſi voluerint matare Regem, non ſint nobiles illi neque filii eorum per ſemper.

XIII. Iſtæ ſunt leges de Nobilitate: & legit eas Cancellarius Regis Albertus & dixerunt; Bonæ ſunt, juſtæ ſunt, volumus eas per nos & per ſemen noſtrum poſt nos.

XIV. Omnes de Regno Portugalle

tugalle obediant Regi, & Alvazilibus locorum qui fuerint ibi per (id eſt *pro*) nomine Regum, & iſti judicabunt per iſtas leges Juſtitiæ.

XV. Homo ſi furtaverit per prima vice, & ſecunda, ponant eum medium veſtitum in loco per ubi omnes vadunt; ſi magis furtaverit, ponant in teſtâ (id eſt *capite*) latronis ſignum cum ferro caldo; ſi magis furtaverit, moriatur; & non matabunt eum ſine juſſu Domini Regis.

XVI. Mulier ſi fecerit Malfairo (id eſt *adulterium*) viro ſuo cum homine altero, & vir ejus accuſaverit eam ad Alvazil, & ſi ſunt boni teſtes, cremetur cum igne, cum dixerint totum ad Dominum Regem, & cremetur vir de Malfairo cum illa. Si maritus non vult quod cremetur mulier de Malfairo, non cremetur vir qui fecit Malfairo, ſed vadat liber;

quia non eſt lex vivere illam & matare illum.

XVII. Si aliquis occiderit hominem, ſit quis eſt, moriatur pro illo. Si quis ſſorciaverit virginem nobilem, moriatur, & totum ſuum avere (id eſt omnia bona) ſit de virgine ſſorciata. Si non eſt nobilis, maritentur ambo, ſive homo nobilis ſit, ſive non ſit.

XVIII. Quando aliquis per vim gancaverit (id eſt *ceperit*) avere alienum, vadat querelosus ad Alvazir & ponat querelam, & Alvazir reſtituat illi ſuum avere.

XIX. Homo ſi fecerit roxum (id eſt *vulnus*) cum ferro moludo (id eſt *acuto*) vel ſine illo, vel dederit cum lapide vel ligno troncudo, faciat illum Alvazir componere damnum & pechare (id eſt *ſoluere*) decem morabitinos.

XX. Homo qui fecerit injuriam Alvazile (id eſt *pratori*) Alcaide, homini miſſo à Domino Rege,

Rege, vel etiam Saione, ſi percuſſerit aſſignetur cum ferro caldo, ſi non pechet 50. morabitinos & componat damnum.

XXI. Hæ ſunt leges Juſtitiæ: & legit eas Cancellarius Regis Albertus ad omnes, & dixerunt: Bonæ ſunt, juſtæ ſunt, volumus eas per nos & per ſemen noſtrum poſt nos.

XXII. Et dixit Procurator Regis Laurentius Venegas: Vultis quod Dominus Rex vadat ad Cortes Regis de Leone, vel det tributum illi, aut alicui perſonæ for (id eſt *præter*) Domini Papæ, qui illum Regem creavit? & omnes ſurrexerunt & ſpatis nudis in altum dixerunt: Nos liberi ſumus; Rex noſter liber eſt, manus noſtræ nos liberaverunt, & Dominus Rex; qui talia conſenſerit moriatur, & ſi Rex fuerit, non regnet ſuper nos. Et Dominus Rex cum corona iterum ſurrexit & ſimiliter

cum ſpata nuda dixit ad omnes: vos ſcitis quantas lides fecerim per (id eſt *pro*) veſtram libertatem; teſtes eſtis, teſtis brachium meum, & iſta ſpata, ſi quis talia conſenſerit, moriatur, & ſi filius aut nepos meus fuerit, non regnet; & dixerunt omnes; Bonum verbum. Moriendur: & Rex ſi fuerit talis, quod conſentiat Dominum alienum, non regnet. Et iterum Rex, ita fiat.

Portugalliæ Regimen Politicum & Civile.

POrtugalliæ regimen quoque regium eſt & abſolutum non minus quam reliquæ Hiſpaniæ.

Regiam autem aulam comitantur aliquot tribunalia, quorum primum & principale appellatur *Tribunal Relationum*, & domus ſupplicationum, vulgo *Caza de Supplicaçon*: cujus Officiales reliquos omnes authoritate ſuperant;

ii jam,

ii jam in civitate Oliſiponenſi fixas habent ſedes. Conſtat autem hoc tribunal decem Judicibus, quos vulgo vocant Deſembargadores, duobus Corregidoribus in cauſis criminalibus, totidemque in civilibus; duobus Judicibus, qui de cauſis Fiſcalibus & vectigalibus coronæ cognoſcunt; quatuor Auditoribus, qui de ſententiis criminalibus judicant; uno Procuratore Fiſci, binis vectigalium, uno Judice Cancellariæ, uno Promotore ut vocant Juſticiæ, & quindecim Deſembargadoribus extraordinariis, uno Sollicitatore Juſticiæ, octo ſcribis appellationum, uno Diſtributore, uno Theſaurario depoſitorum in Curia, aliquot Præconibus, & quadraginta ut plurimum Procuratoribus literatis; denique uno Præſide, qui ex majoribus proceribus Regni aſſumitur, & vulgo *Regedor da Iuſticia* appellatur. Porro Deſembargadores

dores hi cognoſcunt de omnibus cauſis, quæ per appellationem ad ipſos devolvuntur à Tribunali Portuenſi, quæ ſuperant valorem centum mill. rees in bonis mobilibus, & octingenta mill. in bonis fundi, præterea de cauſis, quæ ad ipſos deferuntur à Judice novarum acceſſionum tribunalis Portuenſis, quæ prædictum valorem excedunt; denique de cæteris quæ ab aliis tribunalibus ad ipſos deferuntur. Habet denique hoc tribunal unum Cancellarium, qui ſigillum ſuum omnibus ſententiis appendet; & de erroribus Scribarum, eorumque ſtipendiis cognoſcit.

Alterum tribunal appellatur *Caza de Civel*, id eſt, rerum civilium, quod cum diu in civitate Oliſiponenſi fuiſſet, Philippus I. Portugalliæ R. ad oppidum Portuenſe tranſtulit: auctis ſtipendiis non modo hujus tribunalis judicum,

cum, ſed & ſuperioris, ut cum majore integritate ſingulis juſtitiam miniſtrarent. Cõſtat autem duplo pluribus officialibus quam prius: judicant hi abſolute de omnibus cauſis, quæ valorem centum mill. rees in rebus mobilibus, aut octingenta mil. in rebus fundi non excedunt.

Eſt & tertium Tribunal majoris, quam duo ſuperiora, authoritatis, quod appellant *Deſembargo de Paco*, id eſt palatii; quod conſtat uno Præſide è præcipua nobilitate, quinque Deſembargadoribus, ſeptem ſcribis, aliiſque minoribus miniſtris: hoc Tribunal ſemper aulam Regiam comitatur, & ſupremã obtinet juriſdictionem. Nam & appellationes concedit iis, quorum cauſæ jam à ſuperioribus tribunalibus judicatæ fuere, & cauſam in judicio à novem Deſembargadoribus denuo cognoſcendam committit. Itemque in omnium

dores hi cognoſcunt de omnibus cauſis, quæ per appellationem ad ipſos devolvuntur à Tribunali Portuenſi, quæ ſuperant valorem centum mill. rees in bonis mobilibus, & octingenta mill. in bonis fundi, præterea de cauſis, quæ ad ipſos deferuntur à Judice novarum acceſſionum tribunalis Portuenſis, quæ prædictum valorem excedunt; denique de cæteris quæ ab aliis tribunalibus ad ipſos deferuntur. Habet denique hoc tribunal unum Cancellarium, qui ſigillum ſuum omnibus ſententiis appendet; & de erroribus Scribarum, eorumque ſtipendiis cognoſcit.

Alterum tribunal appellatur *Caza de Civel*, id eſt, rerum civilium, quod cum diu in civitate Oliſiponenſi fuiſſet, Philippus I. Portugalliæ R. ad oppidum Portuenſe tranſtulit: auctis ſtipendiis non modo hujus tribunalis judi-

cum,

cum, ſed & ſuperioris,ut cum majore integritate ſingulis juſtitiam miniſtrarent. Conſtat autem duplo pluribus officialibus quam prius: judicant hi abſolute de omnibus cauſis,quæ valorem centum mill. rees in rebus mobilibus, aut octingenta mil.in rebus fundi non excedunt.

Eſt & tertium Tribunal majoris, quam duo ſuperiora, authoritatis, quod appellant *Deſembargo de Paco*, id eſt palatii; quod conſtat uno Præſide è præcipua nobilitate, quinque Deſembargadoribus, ſeptem ſcribis, aliiſque minoribus miniſtris:hoc Tribunal ſemper aulam Regiam comitatur, & ſupremā obtinet juriſdictionem. Nam & appellationes concedit iis, quorum cauſæ jam à ſuperioribus tribunalibus judicatæ fuere, & cauſam in judicio à novem Deſembargadoribus denuo cognoſcendam committit, Itemque in

omnium totius regni judicum actiones inquirit, & coram ſe earundem rationem jubet reddere, ſi quiſquam ſe ab ipſis injuſte gravatum aut oppreſſum in judicio conqueratur.

Idem & privilegia omnia quæ à Rege petuntur, promulgat, legitimos declarat, de adoptionibus & aliis donationibus facit fidem; famæ & honoribus reſtituit: Judicio ordinariorum electiones confirmat: eos qui cauſa ceciderunt, in poſſeſſione rerum aut conſervat, aut ſi jam exciderunt poſt judicium latum, in eandem reſtituit; vindicias dat ſecundum libertatem, & ætatis prærogativam concedit: homicidis & aliis condemnatis veniam poteſtate regia indulget; de controverſiis inter duo ſuperiora tribunalia cognoſcit: denique Rex communicat huic tribunali omnes caſus juſtitiæ & juriſdictionis, quæ incidere ſolent.

Eſt

Eſt & aliud Tribunal permagne dignitatis, licet non tantæ quam præcedens, cujus judices cognoſcunt & judicant de omnibus cauſis, quæ ad Coronam pertinent, ſive Rex actor ſit, ſive alii qui quid à Rege in judicio petant.

Præterea eſt & Cancellarius major, qui aulæ ſive Palatii appellatur, qui juriſdictionem habet in omnes curiæ ſcribas, & ſigillum cuſtodit, quod omnibus omnium Tribunalium ſententiis ſubnecti ſolet. Idem & privilegia, & donationes Regias ſigillo munit.

In eadem aula quoque Tribunal eſt quæſtorium, ipſi vocant *da Fazenda*, quod conſtat tribus proceribus principalibus, qui *Veedores da fazenda*, id eſt, uti opinor, Quæſtores ærarii appellantur, & totidem judicibus, qui ſex conjunctim ſententias ferunt de omnibus cauſis, quæ ærarium Regis ſpectant: nam & patrimonii regii

&re-

& redituum atque vectigalium rationem habent, tam intra regnum quam extra in ditionibus, quæ coronæ ſunt acquiſitæ; & dant operam, ut non modo Regi de iis quæ ipſi debentur, ſatisfiat, ſed ut ipſe quibus debet, ſatisfaciat. Tres autem illi Veedores maximæ ſunt dignationis, tum propter eminentiam earum cauſarum quas tractant, tum quia fere Conſiliarii ſunt regii, eique non modo in ærarii rebus, ſed & omnibus quæ regimen regni principale concernunt, inſerviunt.

Præter hæc Tribunalia eſt hic conſilium quod vocant *ſtatus*, in quo ſunt perſonæ proſapia & nobilitate eminentes, ſed numero indefinito prout Regi placuerit, in quo principalia negotia pertractantur, quæ regimen concernunt, & bellum juxta atque pacem. Ad eoſdem & præſentatio pertinet omnium Archiepiſcopatuum,

tuum, Epiſcopatuum, Abbatiarum & Comendarum tam in ipſo Regno, quam in Provinciis Coronæ bello acquiſitis.

Eſt & Tribunal Rationalium, quæ vulgo *Caza dos Contos* appellatur, cui omnes & ſinguli, qui ubicunque reditus & bona regalia adminiſtrarunt, rationem reddunt, ſive eadem conduxerint, ſive alio modo collegerint.

Hujus Tribunalis caput, appellatur quæſtor maximus, vulgo *Contador major*, qui rationes inter inferiores rationales diſtribuit, qui fere ſunt duodecim; ſcribæ autem illis ſerviunt ſedecim, & alii miniſtri inferiores. Hoc Tribunal in ſumtuoſo ædificio celebratur, quod *Cazam dos Contos* vocant.

Juxta hanc rationalium domum viſitur alterum magnificum ædificium, quod vocant *Alfandegam*, id eſt, Horreum ſive promtuarium publicum; vel forte Telo-

nium.id conſtat partibus quatuordecim; quarum una dicitur *menza do deſpacho de Madeira*, ubi vectigal ſive portoriũ ſolvitur pro materie omni, quæ foris importatur, uti ſunt corbes viminales, & aſſeres doliares, & ſimilia, itemque de nucibus, juglandibus, & avellanis, aliiſque ejuſcemodi fructibus. Altera dicitur *menza do deſpacho dos portos ſecos*; & ita de cæteris.

Atque hæc quidem dicta ſunto de regimine hujus Regni in univerſum. Nunc de regimine particulari civitatis Oliſiponenſis, & aliorum oppidorum pauca dicamus.

Civitatis Oliſiponenſis Regimen.

CIvitas Oliſiponenſis primò habet Senatum, nobilium, gravium & doctorum hominum; inter quos ſunt ſex ſenatores literati, quos vocant Vereãdores, & unus

unus Præſes è nobiliſſimis Regni primoribus; unus ſcriba itidem nobilis, & duo Procuratores civitatis: hi à Rege ſpeciali diplomate conſtituuntur. Præterea quatuor Magiſtri, quos civitas eligit è domo viginti quatuor; hi ſuperioribus aſſident, & parem habent in ſententiis dicendis poteſtatem, paucis cauſis exceptis. Inſuper unus Theſaurarius, & unus Syndicus, qui ſinguli ſuos habent Actuarios.

Sex autem illorum Vereadorum juriſdictiones diviſæ ſunt in hunc modum. Primus particulatim judicat de macello publico, & de rebus ad illud pertinentibus; Secundus de re frumentaria; Tertius de ripa fluminis & area publica; Quartus de purgatione oppidi; Quintus de poſſeſſionibus & rebus propriis; Sextus libellos ſupplices curat. Totus autem ſenatus eligit judices civiles & criminales,

ædiles, curatores orphanorum, diremtores bonorum, & quam plurimos alios officiales. Iidem pretia vino conſtituunt Feſto S. Martini, & oleo, & carnibus: Frumento autem nullum pretium ponitur.

Conſtituunt quatuor *Zeladores* ut vocant, quorum videre eſt, ne quid vendatur ſupra pretium conſtitutum, quorum ſinguli quotannis ſtipendium accipiunt è publico 150. ducatorum.

Idem duos, quos vocant *Rendeiros*, qui una cum ædibus fora rerum venalium obambulant, & dant operam, ne quid venum exponatur à Senatu prohibitum, qui non raro fructus ſanitati noxios vendi vetat.

Præter hos ſunt in civitate duodecim collegia opificum & mechanicorum, quæ cum ſuis banderis ſive vexillis proceſſiones generales comitantur. Ii ex ſingulis

ſuis

ſuis collegiis eligunt binos, qu conſtituunt conventum viginti quatuor; & quotannis liberis ſuffragiis quatuor eligunt è ſuo numero, qui ſenatoribus aſſident, uti ſupra diximus.

Eorum autem qui jam Magiſterio defuncti fuerint, unus judex eſt illius conventus, alter autem Secretarius: reliqui minora munia civitatis obeunt.

In tribunali rerum civilium, ſunt duo judices, novem actuarii, unus diſtributor, octo inquiſitores, qui una cum actuariis & judicibus criminalibus & rationalium magiſtro munus ſuum obeunt.

Judices autem hi abſolute judicant de iis, quæ valent tantum quatuor mill. rees in rebus immobilibus, vel quinque in mobilibus; quæ hanc ſummam ſuperant per appellationem ad majora tribunalia revocantur.

Sunt præter hos duo *Corregidores*, in civilibus cauſis, cum ſex Actuariis, totidemque Inquiſitoribus, biniſque diſtributoribus; qui abſolute judicant de iis omnibus, quæ valent octo mill. rees in fundo, aut decem in mobilibus; quæ hanc ſummam excedunt, ut ſupra, ad majus tribunal revocantur: eadem eſt ratio quatuor Corregidorum in criminalibus, quatuorque Actuariorum, & unius Inquiſitoris.

Sunt & quinque Judices Orphanorum, cum ſcribis & duodecim diviſoribus, qui hæreditatem inter pupillos partiuntur.

Eſt & domus quam vocant *dos Seguros*, in qua mercatores merces, quas terra marive evectandas curant, certo pretio ſibi aſſecurari redimunt.

Plures præterea ſunt Judices & tribunalia diverſa, à quibus tamen omnibus ad regia tribunalia provocatur,

vocatur, certis quibuſdam cauſis non magni pretii exceptis.

In reliquis locis & oppidis hujus regni Portugalliæ; hic ordo ſervatur. In omnibus civitatibus & oppidis, (exceptis iis quæ ad dominos particulares pertinent,) eſt unus judex Legum peritus, qui à Rege ſpeciali Diplomate conſtituitur, & appellatur Judex extraneus, ad diſtinctionem judicum ordinariorum, quorum ſingula oppida binos quotannis eligunt ex oppidanis ſuis, qui à Rege per Deſembargadores Palatii (ut vocant) in munere ſuo confirmantur. Atque hi una cum Judice extraneo jus dicunt de omnibus cauſis tam civilibus quam criminalibus; ſed nullam ſententiam executioni mandare poſſunt, in cauſa ulla quę ſuperet valorem quatuor mill. rees (id eſt mille ducatos) in rebus immobilibus, aut quinque mill. in mobilibus: & in mulctis irrogandis

non excedunt mille rees, hactenus quippe judicant abſolute ſine appellationis aut aggravii beneficio. Ordinarii autem judices in locis quæ ſupra ducentos incolas habent, juriſdictionem obtinent citra appellandi poteſtatem, quando litis æſtimatio non excedit valorem mille rees in bonis mobilibus, aut cccc in rebus fundi; in reliquis quæ hanc ſummam excedunt, ſententiam executioni mandare minime poſſunt, niſi fuerit prius à Tribunalibus majoribus, quæ hodie in Oliſiponenſi & Portuenſi civitatibus celebrantur, confirmata: nam ad hæc duo tribunalia omnes cauſæ tam civiles quam criminales ex univerſis regni civitatibus & oppidis referri poſſunt; niſi quod cauſæ quædam non ita magni momenti ad Corregidorem viciniæ revocantur. Nam præter prædictos judices, in ſingulis regni provinciis & regionib', judex conſtitutus eſt,

quem *Corregidor de Comarca* vocant: qui quotannis ſemel provinciam ſuam obire & viſitare tenetur, ut cognoſcat de appellationibus à ſententiis, quæ latæ ſunt à Iudice extraneo & ordinariis: ab horum autem Corregidorum judiciis appellatur ad Tribunal Relationum, ubi lites terminantur.

In ſingulis prætérea provinciis eſt Magiſtratus quidam, quem vocant *Proveedor*, cujus eſt operam dare, ut teſtamentorum tabulæ effectum ſortiantur, & quæ tam privatis, quã templis, aut aliis locis piis legata ſunt, rite perſolvantur.

Denique in ſingulis oppidis, quæ judicem extraneum & ordinarios habent, unus eſt judex orphanorum, de cujus ſententiis & judiciis cognoſcit *Proveedor* iſte, exceptis cauſis majoris momenti, quæ per appellationem ad Tribunal Relationum devolvuntur.

V I.

DE OPPIDIS ET PROvinciis Iuſuliſque quæ ad Regnum pertinent Portugall. in Africa & mari Atlantico.

SEptam oppidum in Mauritania Tingitana ad fretum Gaditanum ſitum, triginta & ſex grad. ab Aequatore verſus Arctum: Rex Portugalliæ Joannes primus Mauris eripuit an. cIɔ cccc xv.

2 Oppidum Tingim, quam hodie vocant *Tanger:* eodem tempore captum.

3 Oppidum & caſtrum Mazagaon ad oram maris Atlantici, xxxiii. grad. ab æquatore verſus Arctum: à Portugallis ipſis conditum eodem pene tempore.

4 Inſulam Maderam & Porto Sancto, triginta & tribus gradibus ab æquatore verſus Arctum, & ab urbe Olyſiponenſi cl. leucis.

Made-

Madera admodum fertilis eſt, viteſque fert magna copia, ita ut quotannis Regi decimarum nomine nunc x. nunc xii. millia doliorum (pipas vocant) obvenire dicantur. Diſtat à Teneriſe lxx. leuc. verſus Arctum; præcipua illius urbs dicitur *Fouchal*, portum habens peropportunum & munitum; inſigne templum Cathedrale, quod ſuum habet Epiſcopum & Capitulum & Canonicos: alterum oppidum vocatur Machico, quod & portum habet ſatis commodum. Porto Santo diſtat ab hac iii. leuc. verſus Arctum. Adjacet & altera inſula quam vocant deſertam, quæ nihil producit præter Orchel: & copiam caprarum alit.

5 Inſulas Aſores (quas & Flandricas vocant;) earum præcipua appellatur Tercera, quæ milliaria quindecim aut ſedecim complectitur, altiſſimo ſolo & rupibus

aſpero

aſpero undique cincta, veluti muro; ſed Portum ſinumve defendendis navibus aptum non habet; ante Angram tamen mare ſemilunari ambitu patens, ſeſe in portus ſpeciem ſinuat; Ea urbs præcipua & reliquarum Inſularum Metropolis, Cathedrali Eccleſia, Gubernatoris & tribunalis juridici ſede nobilis. Ei duo alti montes imminent quos vulgo Breſiil vocant; quibus duę lapideæ ſpeculæ ſuperſtructæ, è quibus vigiles certis ſignis, ex alto appellentium navium numerum & qualitatem obnuntiant. Eſt & alterum in Inſula oppidum quod *Prayam* vocant, à littore cui aſſidet, muris cinctum, ſed incolis infrequentius, quia portu caret.

Ager inſulæ frumenti & vini fertilis omnibuſque rebus ad vitam neceſſariis abundans. Inter fructus excellunt Batatæ radices. Præcipua mercium hujus Inſulæ uti

uti & cæterarum eſt glaſtum, cujus quotannis magna copia evehitur. Proximum Inſulanis lucrum ex armentis, quæ Europæa, pulchritudine ac ſpecie, longe ſuperant.

A Tercera ad Notapelioten 27. aut 28. mill. diſtat S. Michaëlis inſula; pene x x milliaria in longitudinem patens; præcipua urbs Punta Delgada appellatur. Ager Inſulæ glaſti feraciſſimus, cujus ſupra bis centena quintaliummillia ſingulis annis evehi ſcribit Linſcotanus noſter. Itemque tritici, ut ſæpe aliarum inſularum inopiam ſublevet; cæterum importuoſa eſt inſula, & tempeſtatibus hyeme ſupra modum obnoxia.

Ab Inſula S. Michaëlis 12. mill. verſus Auſtrum inſula S. Mariæ jacet, 10. aut 12. mill. ambitu complexa, nullo commercio quam figulinæ terræ celebris: nullo mili-

militum præſidio cuſtoditur, quod à natura ſatis munita ſit.

Gracioſa diſtat à Tercera verſus Circium 7. aut 8. milliar. v. tantum aut vi. milliar. ambitu capiens; amœniſſima & fertilis; nullis præſidiariis cuſtoditur, quod ob exiguitatem ſumtus ferre non poſſit.

S. Georgii Inſula viii. aut ix. mill. à Tercera verſus Corum xii. milliar. in longitudinem, vix tria in latit. patens; montibus frequens & ſylvis; nonnihil vini hic quotannis colligitur.

Fayal inſula omnium rerum copia abundans, à S. Georgii inſula jacet verſus Africum, & xvii. aut xviii. milliar. ambitu complectitur; glaſtum quoque colunt inſulani, cujus cauſa vel potiſſimum aditur; civitas illius Dorta cui arx parum firma adjacet: præſidium habet Hiſpanicum.

Pico inſula xii. milliar. à Ter-

cera

cera verſus Meſolibonotum, xv. mill. in longitudinem patens: fructifera eſt, & lignum cedrinum copioſe fert & alterum quoddam quod vocant *Teixo*; pecora habet & multum vini, fructuumque pręſtantiſſimorum abunde.

Flores inſula diſtat à Tercera verſus Occidentem mill. 70. nihil commercio dignum fert præter glaſtum, patet pene omnibus advenis, quia nullo pręſidio cuſtoditur, ab hac milliar. intervallo diſtat Corvo exigua inſula & vix 3. mill. ambiens. Hæ düæ inſulæ proprie non ſunt è numero Aſorum, licet illis annumerentur & uni Gubernatori pareant. Inter has inſulas aut circa eas commodiſſime claſſem Hiſpanicam ex India venientem præſtolari licet; nam has primum ex alto advenientes naves adire ſolent.

6 Sed ad continentem Africæ revertamur. Ad quam poſt Magazaon,

gazaon, primum occurrit Caſtrum Arguin, xx. gradib. ab æquatore verſus Arctum; ab Olyſipone cccl leuc.

7 Inſulæ capitis Viridis, quas ita vocant à promontorio continentis illis adverſo, quod diſtat xiv grad. & medio ab æquatore verſus Septentriones; & hic (inquit *Oliveira*) incipit Æthiopia, & ultra centum leuc. producitur ad promontorium Serræ Leonæ, totumque hoc ſpatium Capitania capitis Viridis appellatur, cujus caput eſt Inſula S. Jacobi, quæ diſtat à dicto promontorio verſus Occidentem C leuc. & principalis eſt decem inſularũ quæ hic ordine jacent, Santjago, Fogo, Mayo, Bonaviſta, S. Vincente, Sª Luzia, Inſula do Sal, Brava, S. Antonio & S. Nicolao.

8 Serra Leona (inquit *Oliveira*) hodie Marchionatus, novem gradib. ab æquatore verſus Septentriones; hinc multum auri, eboris,

eboris, & aliæ res pretioſæ petuntur.

9 Caſtellum S. Georgii, quod vulgo appellatur Mina, quinque gradibus ab æquatore verſus Arctum, ad littus Guineæ.

10 Inſula Principis, duobus ab æquatore gradibus verſus Arctum, XL. leucis à Guineæ littore verſus Auſtrum.

11 Inſula Ferdinandi do Pao exiguo intervallo à continente disjuncta.

12 Ad eandem continentis plagam occurrunt Arda, Ocre, Calabar & alii portus, qui ad Gubernationem S. Thomæ Inſulæ pertinent; quæ ſub æquatore ſita eſt, LX leucis à continenti.

13 Inſula Annobon viginti leucis (inquit *Oliveira*) ab continenti Africæ, quæ hic recta ad Auſtrum vergit uſque ad Caput bonæ ſpei ſexcentarum leucarum ſpatio.

14 Ad hanc oram primum ſitum eſt regnum Congo ſex gradibus ab ęquatore verſus Auſtrum, Coronæ Portugallicæ ſubjectum, inquit *Oliveira.*

15 Deinceps Angolæ regnum novem gradibus ab æquatore verſus Auſtrum, ubi Portugalli tam ad littus quam intra continentem ſuas habent arces; atque hinc porro uſque ad decimum tertium gradum multi portus occurrunt qui ad regnum Benguelæ pertinent, in quo hodie Portugalli bellum gerunt & novas provincias bello acquirere ſatagunt.

16 S. Helenæ inſula, XVI gradibus ab ęquatore verſus Auſtrum, CCCL. leucis ab Africæ continenti, quatuor leucas aut circiter ambitu complexa nullis hominibus habitata, ad quam naves ex India reduces appellunt, & aquandi lignandique cauſa ſubſiſtunt.

17 Superato Promontorio Bonæ

Bonæ Spei, ad oram Africæ quæ hic ad Aquilonem convertitur, primum poſſident Portugalli Soſalam arcem, viginti gradibus ab æquatore verſus Auſtrum, ubi ditiſſimum commercium exercetur.

18 Mozambicum caſtellum, in exigua Inſula ſitum quindecim gradibus ab æquatore verſus Auſtrum, & exiguo intervallo à continente disjuncta; locus valde opportunus navibus quæ ex India redeunt, & promontorium Bonæ Spei ob adverſam tempeſtatem ſuperare non poſſunt.

19 Inter has duas arces in mediterraneis ad ducentas pene leucas magnum regnum Manamotapæ jacet, cui ſubjugando Portugalli hodie dant operam.

20 Septuaginta autem leucis ab Africæ continente jacet maxima Inſula Madagaſcar, quæ & S. Laurentii appellatur; incipit à vi-

geſimo ſexto gradu ab æquatore verſus Auſtrum & deſinit in duodecimum gradum altitudinis Auſtralis; & omnium pene Inſularum totius orbis maxima exiſtimatur; in illa autem jam plures portus inventi ſunt, commodi ádmodum & opportuni in Indiam navigantibus, & omnis generis annona affluentes; quinque Reges jam ſe Regi Hiſpaniæ ſubjecerunt ejuſque Vaſalli ſunt facti. Inſula hæc CCLXXX. leucas in longitudinem patet, nuſquam latior XC. Incolæ illius ſunt Nigritæ.

21 Supra Mozambicum ad eandem Africæ oram Arx Quiloa ſita eſt IX. grad. ab æquatore verſus Auſtrum.

22 Deinde Monbaza quatuor gr. ab Aequat.

23 Porro Melindæ caſtrum duobus grad. & 30. ſcrup. ab Aequatore. Toto autem hoc continentis tractu à Mozambico ad

Melin-

Melindem, multi Reguli degunt, quorum quidam tributum Regi pendunt, omnes commercia cum Portugallis admittunt. Uti & alii plures à Melinde ad Promontorium Guardafui, è cujus regione, ad oſtium pene maris Rubri, Inſula Sacotora jacet, cujus incolæ Chriſtiani ſunt, & licet Portugallis non ſint ſubjecti, tamen commercia cum ipſis exercent, & amicitiam illorum colunt. Atque hæc quidem ſunt loca quæ Portugalli in Africa poſſident, uti ab *Oliveira* breviter commemorantur: nos majoris perſpicuitatis cauſa hîc quædam annotabimus.

Ad 6. A promontorio Blanco (ut vocant) mare ſinuoſo ambitu in continentem ſe immittit, qui ſinus vulgo fretum Arguin appellatur, vadoſus & multis arenarum pulvillis & rupibus pene clauſus; in eo plures ſunt inſulæ ſparſæ, ſed exiguæ, inter quos nomen me-

tuit Arguin, in qua Caſtellum hoc conditum anno 1441. auſpiciis Regis Portugalli, à Soverio Mendezio; hic autem Portugalli ditiſſimum commercium cùm Mauris exercent. Mare denique quod alluit hanc Africæ partem ad miraculum piſcoſum & optimo genere piſcium refertiſſimum eſt. Caſtrum hoc hodie ad Comitem Atouguiæ pertinet.

Ad 7. Incolæ continentis juxta promontorium Viride, ſui juris ſunt, neque Regi Portugalliæ magis obnoxii, quam aliis; hic quidem Portugalli aliquot habitant in pago *Refriſco* vulgo dicto, ſed judaiſantes; Galli autem Angli & noſtri hic commercia cum Nigritis quotidie exercent.

Inſulæ Cap. Viridis.

INſularum Capitis Viridis maxima & celeberrima eſt S. Jacobi inſula, quæ diſtat à continente circiter

citer LXXXV milliaria ut noſtrates obſervarunt ; Portugalli hic oppidum habent pluribus propugnaculis & variis caſtellis munitum ad partem Inſulæ quæ meridiem ſpectat.

Fogo diſtat ab Inſula S. Jacobi VII milliaribus verſus Africum vel potius VV. S. VV. XIV grad. & XXXIX ſcrup. ab æquatore verſus Arctum, editiſſimum habet montem qui jugiter flammas evomit; totaque inſula edito eſt ſolo.

Mayo inſula ſalinis nobilis, quam ob cauſam à noſtratibus ſæpe adiri ſolet : nullos habet incolas, niſi forte paucos Nigritas fugitivos aut exules Portugallos.

S. Vincentii Inſula nullos habet incolas, montoſa enim eſt & rupibus aſpera ; licet valles habeat nonnullas non infœcundas, ſi cultura accederet ; cæterum maxima hic caprarum ſylveſtrium copia ; ſuperioribus enim annis cum no-

ſtri hic in anchoris cum claſſe ſtarent, ſupra quatuor millia ceperunt. Stationem habet percommodam & adverſus maris æſtum ab objecta inſula S. Antonii præmunitam.

S. Luzia in eundum modum aſpera eſt & ſterilis, nec quicquam illuſtre ſortita præter caprarum copiam; nunc quoque deſerta, licet olim habitata fuiſſe videatur. Cæteræ itidem non ſunt magni momenti.

Ad 8. In Sierra Leona, duo ſunt Reges Nigritarum Regi Portugalliæ minime obnóxii, neque Portugalli hic ullum caſtellum aut præſidium habent, quo alias nationes commercio cum Nigrítis arceant; nam quotannis Galli, Angli, Belgæ eo commeant. Sed haud longe hinc Portugalli oppidum quoddam incolunt quod vocant, Cachieu, cujus incolæ divitiis abundare dicuntur.

Ad 10. Inſulam principis obſervant noſtri unum gradum & 30. ſcrupul. diſtare ab æquatore verſus Arctum; hodie à Portugallis incolitur, qui ibidem oppidulum habent, ad plagam quæ Corum aſpicit; plurimum ſacchari annuatim producit.

Ad 11. Inſula Ferdinandi do Pao, edito ſolo, & circiter XVIII. mill. in longitudinem patet; cur hanc Portugallis attribuat Oliveira, non video, nam ab aliis obſervatum invenio, à VII Regulis eam poſſideri & gente adeo effera & inhumana, ut pene omnes exteros à commercio & conſortio ſuo ſegregent.

Ad 12. S. Thomæ inſula jam à multis annis à Portugallis incolitur, qui hic oppidum habent, quod vocant *Pavoaſam*, juxta torrentem aquæ limpidæ & potari pulcherrimæ: ſolum maxima parte montoſum, & ſacchari

cannis opportunum, unde maxima ſacchari copia hic quotannis conficitur, ſed cœlum inſalubre præſertim noſtratibus, atque adeo omnibus qui non aſſueverunt, aut in illa nati ſunt.

Ad 13. Inſula Annobon diſtat ab æquatore verſus Arctum uno gradu & viginti quinque ſcrupul. In hac quoque Portugalli oppidulum habent, ſed haud ita frequens incolis ut exteros omnes arcere poſſint, qui hic ſæpe ipſis invitis aquam & ligna petunt; & varios fructus ipſis extorquent; oppidulum circiter centum & viginti ædibus conſtare dicitur. Stationem ſatis commodam habet ad plagam quę ſeptentriones reſpicit.

Ad 14. Regnum Congo hodie non ita ſubjectum eſt Regi Portugalliæ ut olim fuit, imo vix ipſum ſuperiorem agnoſcit; atque adeo Rex Congo ſuperioribus annis cum Portugallis Angolenſibus

bellum

bellum geſſit, & Belgarum opem adverſus illos imploravit; hodieque Belgis favet, & illis liberum commercium in Regno ſuo permittit.

Ad 15. In Angola Portugalli paulo plus juris habent: nam hic poſſident inſulam Loandam & in vicina continente oppidum habent S. Pauli, & arces aliquot intra continentem.

Ad 16. Caſtrum Portugallorum in regione Sofalæ, ſitum eſt viginti gradibus & xxx. ſcrupul. ab æquatore verſus Auſtrum, haud procul à mari, ad ripam fluminis quod in regione Mocarangua oriens haud minus C leucis à mari, & urbem Zimbaoc, Quitevæ qui hiſce regionibus imperat, ſedem præterlabens, ſub caſtro hoc ingenti oſtio & fere leucam lato, in oceanum ſe exonerat. Caſtrum hoc à Petro de Nhaya primum conſtructum fuit ann. cIↄ Iↄ v

conſen-

conſentiente Zufio cœco Rege Mahumetano, quem tamen haud dudum poſt facti pœnituit, & cum Portugallos inopinantes opprimere pararet, facto à barbaro quodam indicio, ab ipſis præoccupatus fuit & occiſus.

Habent ibidem Portugalli & aliud caſtellum quod vocant Senam, ex lapide & limo conſtructum & multis machinis bellicis inſtructum, LX leuc. ab oſtio fluminis, cui Capitaneus à præfecto Mozambici imponitur. ad hoc caſtellum Tetæ Provinciæ incolæ mercaturæ gratia commeant & merces exoticas auro permutant.

Item tertium in Provincia Tete; LX leucis ſupra Senam, in Regno Inhabaze, ſub Dominio Manamotapæ. Regio fertilis eſt, & Luſitaniæ merces hic magno ſunt in pretio. Luſitani autem per Manamotapæ regiones ad tria empo-

ria

ria barbarorum proficiſcuntur, quæ Maſſapa, Luanze & Manzovo dicuntur; quorum præcipuum eſt Maſſapa, ubi Luſitani præfectum habent, Manamotapæ rege concedente.

Ad 19. Manamotapæ Regnum (ut ſcribit *Ioh de Santos*) ſitum eſt in Mocaranga, quæ olim integra ad imperium unius Regis pertinebat, (qui barbaris Mana dicitur & inde Manamotapa, ut Manacongo & ſimilia,) hodie vero in quatuor regna diviſum eſt, Manamotapæ, Quitevæ, Sedandæ & Chicangæ; Rex enim ſuperiori ſeculo, cum unum ſe tot regnis regendis imparem videret, inter quatuor filios eadem diviſit, & majori quidem natu Manamotapæ regnum attribuit; ſecundo autem Quitevæ regiones Sofalæ flu. conterminas; tertio Sedandæ regiones quas Sabia fluvius lambit, qui ex adverſo Bociarum Inſu-

larum

larum mare intrat;quarto denique Chicangæ regionem Manicæ ſubjectam. Tres autem poſteriores poſt Patris obitum nunquam fratrem majorem natu ſuperiorem voluerunt agnoſcere, unde continua fere bella inter ſe geſſerunt. Porro Regnum Manamotapæ, ducentas leuc. in longitudinem, nec pauciores in latitudinem patet: verſus Corum terminos dividit cum Regno Abutuæ, quod ad fines uſque Angolæ ſe extendere creditur; verſus Orientem terminatur flu. Zambeze;verſus Eurum Oceano, in quem promontorio x aut xii leuc. lato, inter fluvios Luabum & Tendanculum vaſte ſe projicit; verſus Auſtrum ad flu. Inhabanen pertingit: reliqua ad reliquos tres Reges pertinent, à Sofala flu. nimirum ad Tendanculum Quiteve imperat: inde ad Auſtrum regnum Sabiæ patet, ſub Sedandæ imperio,qui & Botongæ

Domi-

Dominus ad Inhabanæ regionem uſque : utrique denique in Mediterraneis prætenditur Manicæ regnum, ubi Chicanga dominatur c circiter leucis à mari verſus Corum. Horum denique Regum Quiteve facile potentiſſimus eſt tum ob commercia quæ cum Portugallis exercet; tum ob ſubditorum ſuorum vires, qui inter Mocarangas (ita enim Cafres omnes has gentes vocant) fortitudine & arte bellandi excellunt.

Ad 21. Quiloæ tyrannum Abrahemum primo tributarium fecit Regi Portugalliæ Vaſcus Gama, impoſito annuo tributo, quod duûm mill. miticalium, ut ipſi appellant, vel aureorum ſummam non excederet. Inde anno 1505. à Franciſco Almeida, Abrahemo expulſo, Mahumetes Anconinus urbi impoſitus, & arx ædificata quæ hodieque durat.

Ad 22. Monbaſam urbem in parva

parva inſula ejuſdem nominis ſitam Almeida expugnavit ann. 1505 & direptam incendit. Commoda hîc ſtatio eſt.

Ad 23. Cum Melindæ regulo Portugallis jam à prima pene illorum in has partes navigatione, amicitia fuit, & crebra inter eos obſequia; littus autem Melindæ importuoſum eſt.

VII.

DE OPPIDIS ET CAſtris quæ Rex Portugalliæ poſſidet in Aſia, atque India.

§ 1.

Littus (inquit *Oliveira*) Aſiæ incipit à Sues, oppido Turcarum ad caput maris Rubri ſito, & ſecundum Orientale ejuſdem maris latus primo porrigitur ad urbem Aden, ad oſtium maris Rubri,

bri, deinde ſecus littus Arabiæ felicis ad ſinum Perſicum producitur, ad cujus oſtium Portugalli in continente commercia exercent cum Calayate incolis.

2 Haud longe hinc jacet Inſula Ormuz, duarum leucarum intervallo à continente Arabiæ diſcreta, quæ Portugallorum eſt; diſtatq; ab æquatore viginti ſeptem gradibus verſus Arctum. Et licet exigua ſit Inſula & ſterilis, commerciis tamen ſupra modum floret, & frequentia incolarum excellit, qui locupletiſſimi ſunt: eſt enim totius Perſiæ, Arabiæque emporium.

3 Ducentis & quinquaginta ab Ormuz leuc. Dium arx ſita eſt in Regno Cambaiæ viginti gradibus & dimidio ab æquatore verſus Arctum.

4 Damaon, Tarampor, Vaylite & Cacil, quæ loca Portugallis parent, & mox Civitas Bazaim no-

vendecim gradibus & medio ab æquatore.

5 A Bazaim ora Indiæ ſe convertit ad Auſtrum, ad quam Portugalli poſſident Tana & oppidum Chaul: & ſedecim gradibus ab æquatore verſus Arctum inſulam Goæ. Eſt autem hæc inſula exigua, ſita ad principium orę Malabaricæ, & exiguo intervallo à continente disjuncta; in qua ſita eſt nobiliſſima civitas Goa, totius Indiæ Metropolis, Archiepiſcopi & Proregis Indiæ ſedes.

6 Ad eandem oram & duodecim ab æquatore gradibus ſita eſt arx Cananor, ſupra quam ſita ſunt Avor & Barcelor, infra autem Mangalor, Calicut, & Cranganor urbs Archiepiſcopalis; & decem ab æquatore gradibus civitas Cochim Epiſcopalis, ad quam maxima pars mercium quæ in Portugalliam vehuntur conduci ſolent.

7 Ad extremum ora Malabaricæ

ricæ caput, juxta promontorium Comorim, octo ab Aequatore gradibus ſita eſt arx Ceylaon, ubi pars occidentalis oræ Indicæ deſinit.

8 E regione dicti promontorii jacet Inſula Ceylaon quæ cc leucas ambit, & tota à Portugallis poſſidetur, qui in illa aliquot arces habent; quarum illa quæ Columbo dicitur, octo gradibus diſtat ab Aequatore verſus Arctum: reliquæ ſunt Manara & Maluco aliæque: opulentiſſima eſt Inſula & ex illa univerſa Canella petitur quæ Europæ inferri ſolet.

9 A promontorio Comorim verſus ortum poſſident Portugalli civitatem Negapotaon undecim & medio grad. ab Aequatore verſus Arctum.

10 Quatuordecim autem ab Aequatore gradibus verſus Arctum civitatem S. Thomæ, ubi Portugalli Coloniam habent.

11 Porro in reliquis omnibus aut pleriſque portubus, quæ ſequuntur ad eandem oram, Portugalli commercia exercent & fœderatos ſuos habent uſque ad Regnum & oppidum Bengalæ; in quo & caſtellum habent; XXIV grad. ab Aequatore.

12 A Bengala porro ad Regnum Pegu, quæ ora ad CL leucas extenditur, in variis locis cõmercia habent, in Pegu quoq; arcem.

13 A Pegu ora ſe porrigit ad promontorium quod jacet è regione Inſulæ Sumatræ, quam aliqui Taprobonam appellant; & promontorium hoc ab antiquis Auream Cherſoneſum appellatam autumant, ubi urbs Malacca condita eſt, duobus gradibus & 30. ſcrupul. ab Aequatore verſus Arctum. Eſt autem Malacca Portugallorum civitas ditiſſima & caput Epiſcopatus. Ab hac ad Inſulam Sumatram octo leucarum iter eſt:

Ad hanc denique Mercatores tam è China, quam Syan & reliquis partibus Orientalibus ſolent confluere.

14 A Malacca verſus Orientem multę inſulæ in Oceano ſparſæ ſunt, & quidem primo Maluccæ ſub ipſo pene Aequatore, quas Portugalli ſui juris fecerunt.

15 Deinde Inſula Banda, quam Portugalli itidem ſibi vendicant: inquit *Oliveira.*

16 A promontorio autem Malaccæ, longo ductu producitur ora Chinenſis ſpatio quadringentarum & quinquaginta leucar. ad quam paſſim Portugalli commerciorum gratia appellere ſolent. Hinc dein ampliſſimum Regnum Chinæ orditur novendecim grad. ab æquatore verſus Septentriones, & deſinit ad quadrageſimum octavum ejuſdem latitudinis gradum. Civitas denique Macao quæ hodie à Portugallis incolitur,

viginti tribus gradibus diſtat ab Aequatore verſus Arctum.

Atque hæc quidem loca Portugalliæ nomine poſſidet Rex Hiſpaniæ in Aſia atque India, prout compendio ab Oliveira enumerantur: de quibus majoris perſpicuitatis gratia hęc annotanda ſunt.

Ad 1. Calajatum urbs eſt Regni Armuz, ab Albuquerquio olim capta & direpta, ſed poſtmodum reſtaurata.

Ad 2. Armuz vel Ormuz, oppidum ſitum eſt in inſula Gerun uti Perſæ atque Arabes vocant, quæ ad exordium ſinus Perſici jacet, ambitu ſex aut ſeptem milliar. complectens, à Perſiæ continente, ex adverſo Docar, quinq; milliar. disjuncta: ab Arabia vero circiter novem leuc. XXVII. grad. & XXX. ſcrup. ab æquatore verſus Arctum: ut noſtrates obſervarunt XXVI grad. XXVII ſcrup. æſtivis menſibus ferventiſſima, maxima ſui parte ſte-

te ſterilis & nitroſa : duos habet hæc inſula ſinus, quos cornu quoddam arenoſum dirimit, ad quod hodie Arx Portugallorum ſita eſt (inquit *Petrus Teixera*) & ſitu & fabrica inter celeberrimas & munitiſſimas Orientis facile princeps. Ab Alfonſo Albuquerquio, cum Armuziæ regem in poteſtate haberet, primum condita. Is enim cum Armuzianos magno prælio ſuperaſſet anno cIↄ Iↄ VII. Zeifadino has leges dixerat, ut quotannis quindecim millia Seraſinum tributi nomine penderet, & locum ad arcem ædificandam concederet, in quam ſuis tutus eſſet receptus : quam alii deinde Proreges Indiæ & præfecti hujus arcis ampliorem munitioremq; fecerunt.

Anno autem cIↄ Iↄ CXXII Perſæ cum Anglis arcem hanc expugnarunt & Portugallis eripuerunt, in qua tum reperta fuerunt ſupra centum quadraginta tormenta

bellica, magnam partem ænea. Itemque paulo ante Portugallis ab iiſdem erepta fuit nova Arx quam in Inſula Kishme (ut Angli vocant) conſtruxerant, in qua ſeptendecim tormenta bellica inventa varii generis. Noſtrates narrant in univerſum Luſitanis hic erepta fuiſſe ſexcentas machinas bellicas variæ molis, tam è ferro quam ære conflatas.

Ad 3. Urbs & Inſula Dium (inquit *Linſcotanus*) exiguo intervallo à continente disjuncta, L X X leucis abeſt à flu. Indo, & XXI grad. ab æquatore, olim Cambaiæ Regi paruit: Portugalli autem primum Rege concedente hic caſtellum condiderunt, mox vero Urbis atque Inſulæ compotes facti, multis munimentis locum pene inexpugnabilem fecere; ſemel anno 1539. & ſecundò anno 1546. obſidionem infidelium fortiter ſuſtinuit. Urbs commerciis varia-

rum gentium florentiſſima eſt. Inſula ipſa fœcunda eſt, & omnibus rebus ad vitam humanam neceſſariis abundans.

Ad 4. Daman (inquit *Linſcotanus*) ad Indiæ continentem ſita eſt viginti gradibus ab æquatore, arcem habet quæ una cum urbe à Portugallis poſſidetur. Ab hac ad urbem Bazaim quindecim ſunt milliar. quæ diſtat ab æquatore XIX cum dimidio grad.

Ad 5. A Bazaim ad arcem Chaul, novendecim gradibus ab Aequatore, 10 milliaria numerantur. Ab Anglis obſervatum invenio, duo eſſe oppida hujus nominis, unum ad ipſam maris oram, undiquè muro cinctum, & ſinui maris imminens, quod à Portugallis habitatur; alterum intra continentem quod à Mahumetanis poſſidetur. De Goa, quia notiſſima eſt Indiæ Portugallicæ Metropolis, nihil hic addam.

Ad 6. A Goa verſus Auſtrum, has arces & loca Portugallorum enumerat *Linſcotanus*; primum Onor 20 mill. à Goa, & 14 gradibus ab Aequatore verſus Arctum; Ager vicinus præſtantiſſimi piperis copia celebratur. Deinde Barſelor 15. mill. ab Onor, 13. gradib. ab æquatore, piperis & oryzæ copia dives, tertio Mangalor 9. mill. à Barſelor, duodecim grad. & dimid. ab æquatore: quarto Cananor 15. mill. à Mangalor, duodecim & dimidio gradibus ab Aequatore, piperis abundantia præſtat. Quinto Calecut, 8. mill. à Cananor, 11. gradibus ab Aequatore, olim totius illius tractus Metropolis, nunc pene exhauſta. Sexto Cranganor, 10. mill. à Calecut. decem grad. & dimidio ab æquatore. Denique Cochinum, urbs ampliſſima & Goæ pene æqualis, tam ædium numero & ſplendore, quam incolarum frequentia.

Ad

Ad 7. A Cochino (inquit *Linſcotanus*) ad Coulon 12. ſunt mill. novem grad. ab æquatore verſus Arctum; ubi arx Luſitanorum eſt & quotannis una navis pipere oneratur. A Coulon ad promontorium Commorin 20 ſunt mill. 7. grad. & dimidio ab æquatore.

Ad 8. De Inſula Ceylon vide *Linſcotanum*, cap. XIV. *Spilbergius* noſter ann. 1602. hanc inſulam adiit quæ tum variis Regibus parebat, quorum præcipuus qui Candii Provinciæ imperabat, tum Portugallis non modo non ſubjectus, ſed & infenſiſſimus erat; unde poſtea tanta rerum commutatio facta ſit, ut Portugalli tota inſula jam potiantur, (ut ſcribit *Oliveira*) nondum obſervavi.

Ad 10. *Linſcotanus* noſter vicum S. Thomæ agnoſcit eumque deſcribit cap. XV. Sed *Caſparus Balbus* civitatem vocat, & pluribus

ribus propugnaculis qua portum reſpicit munitam ſcribit.

Ad 11. Ora quæ inter Negapatan & Muſelapatam extenditur, xc circiter millia. ſpatio, vulgo Choromandel appellatur; ubi hodie non tantum Belgæ noſtri, ſed & Angli, non minus quam Portugalli cum indigenis libera commercia exercent.

A Muſulepatan autem ad Regnum Bengalæ 120. mill. ſpatio, Narſinga, Biſnagar & Orixa jacent ad Gangis uſque æſtuarium, à quo Bengalæ regnum ſumit initium; totaque hæc ora etiam Choromandel vocatur, uti prior. In regno autem Bengalæ nulla Portugallis munimenta eſſe ſcribit noſter *Linſcotanus*, tantum pagos quoſdam, & pene exules Portugallos in uno atque altero portu domicilia ſua habere.

Ad 13. De Malacca vide *Linſcotanum* noſtrum cap. XVIII.

Ad

Ad 14. Inſulæ Moluccæ primum à Caſtellanis aditæ, & poſt acrem inter Portugalliæ & Caſtellę reges controverſiam, denique Portugallo veluti oppignoratæ; una cum Portugalliæ regno ad Caſtellanos devenerunt.

Earum præcipuæ à Belgis noſtris ſuperioribus annis fuerunt occupatæ, & arcibus ad minimum novem firmatæ; nam quinque ſunt inſulæ, Ternate, Tidor, Timor, Machian & Bachian & aliquot minores; in quibus omnibus noſtri arces habent munitiſſimas, & garyophillos qui in hiſce ſolis inſulis creſcunt ad ſe contrahunt.

Ad 15. Inſulam Bandam nucibus muſcatis fertilem noſtri Belgæ quoque ſui juris fecerunt, ibidemque munitiſſimam habent arcem. Iidem & Amboinam inſulam occuparunt, & Portugallos commercio omni in hiſce inſulis excluſerunt.

Ad

Ad 16. Cum Chinenſibus hodie noſtri Belgæ non minus commercia exercent, quam Portugalli & oram illam Portugallis infeſtam reddunt.

In ſumma jam à multis annis noſtrates plures naves aromatibus omnis generis, ſola Canella excepta, onuſtas ex India acceperunt quam Portugalli, & commercium Indiæ ad ſe traduxerunt; plures Portugallorum naves mercibus Indicis onuſtas aut ceperunt aut depreſſerunt; præter ingentia damna quæ Portugalli paſſi ſunt ſuperioribus annis, Caraquis aliquot aut mari hauſtis aut ad littora Galliæ fractis, una quoque opulentiſſima à piratis Mauris haud ita nuper intercepta.

PRO-

VIII.

PROVINCIÆ ET URBES quas Rex Portugalliæ in Braſilia ſibi vindicat.

Ex Nicolao d'Oliveyra: & aliis.

IN America Auſtrali Rex Portugalliç poſſidet terram Braſiliç, quæ olim Provincia Sanctæ Crucis fuit dicta à Portugallis, qui primi illam invenerunt atq; luſtrarunt: Ea autẽ (ſecundum auctorem hunc) initium ſumit à Para, quæ Portugallorum arx eſt in æſtuario maximi fluvii Amazonum, ſub ipſo pene æquatore ſita, & deſinit in trigeſimo & quinto gradu ab æquatore verſus Auſtrum; & ſecundum oræ maritimæ ductum, maximo gyro, complectitur leucas mille, quadraginta & unam; quem ingentem terra-

terrarum tractum Portugalli juris ſui eſſe profitentur.

Porro regio hæc omnis, ſive Braſiliæ nomine, ſive quocunque alio cenſeatur, dividitur in quatuordecim Capitanias;(ſecundum *Oliveiram*, nam in numero non conveniunt alii Scriptores)eæ ſunt Para, Maranhaon, Ciara, Rio grande, Parayba, Tamaraca, Pernambuco, Seregipe, Bahia, Ilheos, Spirito Santo, Porto Seguro, Rio de Janeyro, San Vincente; quarum ſex ad dominos particulares pertinent, qui illas armis acquiſivere, hodieque poſſident; reliquæ octo, ſunt Regis.

Intervalla inter haſce Capitanias diverſa ſunt, nam à prima quæ Para dicitur, ad ſecundam Maranhaon centum & ſexaginta leucæ numerantur: à Maranhaon autem ad Ciaram centum & viginti quinque leucæ; à Ciara ad Rio grande centum; à Rio grande ad

Paray-

Paraybam quadraginta quinque; à Parayba ad Tamaracam viginti quinque; à Tamaraca ad Pernambucum ſex; à Pernambuco ad Seregipen ſeptuaginta; à Seregipe adBahiam viginti quinque; à Bahia ad Ilheos triginta; ab Ilheos ad Porto Seguro triginta; à Porto Seguro ad Spiritu Santo ſexaginta quinque, à Spirito Santo ad Rio de Janeyro ſeptuagintá quinque; à Rio de Janeyro ad San Vincente ſexaginta quinque; à San Vincente ad æſtuarium fluminis de la Plata ducentæ & viginti leuc.

Caput hujus Provinciæ eſt civitas S. Salvador ſive Bahia de todos los Santos, in qua tam Epiſcopus quam Gubernator cum reliquis miniſtris regiis domicilium habet; juxta hanc Rex plures arces habet, uti & in aliis omnibus Capitaniis, & multos milites præſidiarios alit, alioſque permagnos

ſumtus facit, uti poſtea dicemus, cum de reditibus & expenſis regiis agetur.

Capitaniæ Pernabucenſis Dominus eſt Eduardus Albuquerquius; ea latiſſime patet, nimirum ab urbe Olinda verſus Auſtrum leucas circiter XL ad flumen uſque S. Franciſci, juxta quod ſuperioribus annis argenti fodinam inventam volunt, quam tamen Rex egeri vetaverit: ab hoc flumine verſus Arctum ſita eſt *Alagoa*, ubi duo amnes in oceanum exeunt; hic V aut VI machinæ ſacchariæ ſtructę ſunt, quæ quotannis parum ſacchari conficiunt: huic ad eandem plagam proximus eſt *Porto Caluo*, juxta quem ſunt VII aut VIII machinæ ſacchari: & juxta hunc verſus Arctum pagus *Vna* cum IV aut V machinis: & porro *Serinhan* ampliſſimus & amœniſſimus pagus, juxta quem XII machinæ ſtructæ, quarum ſingulæ utplurimum

VI aut

VI aut VII mill. arobarum ſacchari conficiunt (arobæ autem ſingulæ pendunt XXVII aut XXVIII libras:) deinceps *Poiucar* pagus, incolis frequentiſſimus, ubi ſunt XIII aut XIV machinæ ſacchari, quæ magnam copiã quotannis edunt; ſitus eſt ad amnem ejuſdem nominis qui paulo ſupra promontorium S. Auguſtini exit. Secundùm promontorium hoc jacet pagus S. Antonii do Cabo, in cujus diſtrictu circiter XX machinæ ſtructæ, quæ plurimum & optimum ſaccharum reddunt. Infra dictum promontorium ſita eſt Eccleſiola Noſtra Sennora de'la Candelaria, à qua ſemita pertinet ad campeſtria, quæ Cucuranas vocant, in quibus magna vis armentorum paſcitur: ab his ad urbem Olindam ſunt V leucæ, quibus XXII machinæ comprehenduntur. Ab eadem urbe verſus mediterranea IX aut X leuc. jacet Omatto do Braſil frequen-

ſingulæ efficiunt 32. arrates: Id anno 1617. obſervatum fuit; quo eodem ann. Vianam appulerunt ſupra quinque millia ciſtarum: ut de aliis portubus Portugalliæ nihil dicam, ad quos quoque magnum ciſtarum numerum appellere certiſſimum eſt.

Porro de omni hoc ſaccharo Regi decimarum nomine in ipſa Braſilia ſolvuntur decem pro unoquoque centenario, excepto illo ſaccharo quod Domini machinarum proprio ſuo periculo evehunt, quod liberum eſt à vectigalibus: In regno autem Portugalliæ ſimul ac appulerint, ſolvunt viginti pro unoquoque centenario. Alii hæc paulo aliter explicant, quemadmodũ nuper à Belga, qui xxx annis in Pernambuco habitaverat, accepi. Omnes omnino fruges, omne ſaccharum, & ſimilia, etiam armenta & cætera animalia ſolvunt regi decimas; quas Rex

publicanis quibuſdam in ſingulos aut plures annos elocari ſolet pro ſexaginta millibus ducatorum in ſola Capitania Pernabucenſi (nam de cæteris nihil dum mihi conſtat:) ab hiſce decimis nulli plane liberi aut immunes ſunt præter eccleſiaſticos: Saccharum autem omne, uti & reliquæ merces, liberum eſt ab omni vectigali aut portorio in ipſa Braſilia; ſed in Luſitania ſimulac appulerit pro vectigali xx pro ſingulis centenariis, ſecundum valorem ſacchari, quo venit in Regno; Domini tamen novarum machinarum, ſi ipſi ſaccharum ſuum & ſuo periculo evehant in Luſitaniam, in regno liberi ſunt à vectigali illo ad decennium; quo elapſo dimidiam partem vectigalis, id eſt decem pro ſingulis centenariis perſolvere tenentur, & altero decennio elapſo ſolvunt uti cæteri.

Ex eadem Provincia in Europam

pam traducuntur plurimæ pretioſiſſimæ merces, magna Ambari copia, Balſamum præſtantiſſimum, lignum Braſil, aliæque materies magni pretii; Tobaccum & plurimum gingiberis; aliæque ejuſcemodi merces.

IX.

SERIES ET SUCESSIO Regum Portugalliæ.

E Duardi Nonii Leonis IC. Luſitani libro de vera Regum Portugalliæ Genealogia.

HENRICUS Portugalliæ Comes natus eſt Veſontii. Patrem habuit Guidonem Comitem Vernolienſem & Brionenſem, Reginaldi & Aliſæ Comitum Burgundiæ filium, Guilielmi Com. Burgundiæ fratrem. Is Henricus ad bellum ſacrum tendens in Hi-

ſpaniam appulit, & Alfonſum VI Caſtellæ Regem, qui Imperator etiam dicebatur, cum Raymondo Burgundo & Raymondo Toloſano Comite adverſus Saracenos juvit. Illi vero propter ſanguinis claritatem & res præclare geſtas, Alfonſus Taraſiam filiam notham locavit, Portugalliamque nomine dotis & jure clientelæ dedit; hoc eſt, illud, quod intra limites interamnis provinciæ, Lamecæ, Conimbricæ & Viſei continebatur; & tractum etiam illum Galleciæ, qui ultramontanus dicitur, cum jure recuperandi eam Luſitaniæ partem quæ à Saracenis occupabatur, uſque ad Bœticæ confinia: qua ſcilicet Anas provincias dividit. Suſtulit è Taraſia *Alfonſum Henricum*, & duas filias *Vrracam*, quæ Veremundo Comiti Traſtamaræ: & *Taraſiam*, quæ Ferdinando Menendo in Gallecia nupſere. Mortuus eſt Aſturicæ A. CH. 1112.

Braca-

Bracaræ ſepultus. *Alfonſus primus* Henrici F. primus Portugalliȩ Rex poſt præliũ Orichienſe appellatus. Duxit Mahaldam filiam Amedei 11 Com. Maurianæ. ex qua illi natus *Sanctius*: & *Vrraca* quæ Ferdinando 11. Legionis & Galleciæ R. nupſit, ſed poſt natum ex ea Alfonſum ab illo fuit ſeparata ſententia Romani Pontificis ob conſanguinitatem: & *Taraſia* quæ Philippo Flandriæ Com. fuit conjuncta, & Mathildis fuit appellata. Hic in agro Orichienſi inſigni victoria parta de quinque Sarracenorum Regibus, crucem cæleſtis coloris, quæ Portugalliæ inſigne erat, in quinque ſcutula diviſit, eaque argenteis reſperſit denariis. Oliſſiponem, Leiriam, Sanctarenam, Turres novas, Sintram, Maforam, Cezimbram, Eboram, Pacem Juliam & totam fere Portugalliam, quanta nunc eſt, à Saracenorum tyrannide liberavit, &

Chriſtianis reſtituit. Et rebus multis tam bello quam pace præclare geſtis, obiit Conimbricæ an. Chr. 1185. Vixit annis 91.

Sanctius primus duxit in uxorem Dulciam ſeu Aldonzam Raymundi Berengarii & Petronillæ Arragonum R. filiam; ex qua ei natus *Alfonſus*; & *Fernandus* qui duxit in uxorem Joannam filiam Balduini Imperatoris, Flandriæ Comitiſſam. Et *Petrus* qui Comes fuit Urgellenſis nomine uxoris Aurembiagis. & *Henricus*, itemque *Taraſia* quæ Alfonſo Legionis & Galleciæ R. nupta ab eo poſtmodum fuit ſeparata. *Mahalda* quæ Henrico I. Caſtellæ Regi nupſit, ſed ab eo fuit ſeparata, *Sanctia*; & Blanca Guadalaiaræ Domina, *Berengaria*. Habuit & plures liberos è Concubinis. Obiit ann. 1212. ætatis ſuæ 58.

Alfonſus II. cognomine Craſſus, uxorem duxit *Vrracam* filiam Alfon-

Alfonſi IX Caſtellæ R. & Leonoræ Henrici II. Angl. R. filiam; ex qua ſuſtulit *Sanctium*; *Alfonſum* Bononiæ Com. *Fernandum*; *Leonoram* quæ Daciæ Regi nupſit. Obiit Conimbricæ an. 1224. ætatis 38.

Sanctius II. qui Capellus vocabatur; duxit Mitiam Lopidem ab Haro filiam Diodoci Lupi Cantabriæ Dynaſtæ: qui ob animi mollitiem, vicarium accepit fratrem Alfonſum. Obiit Toleti an. 1246. regni 22.

Alfonſus III. Sanctii frater, duxit uxorem *Mathildem* Bononiæ Comitiſſam, filiam Reginaldi Com. Dampmartini & Idæ Comitiſſæ Bononiæ. deinde *Beatricem* filiam notham Alfonſi X. Caſtellæ Regis. ex qua illi nati *Dionyſius*; *Alfonſus* Dominus Portalegrii & aliorum oppidorum. *Blanca*; *Conſtantia*. Hic Algarbii regnum à ſocero Alfonſo jure clientelæ conceſſum, cujus pars ad id tempus à Sarracenis

nis tenebatur, liberum ab eorum jugo reddidit: poſtea cum clientelam in gratiam nepotis Dionyſii Socer remiſiſſet, pro Algarbii ſymbolo, Portugalliæ Regni inſignibus clypeum purpureum addidit, aureis caſtellis reſperſum. Obiit Oliſipone ann. 1279. ætatis 70. Regni 32.

Dionyſius Uxorem duxit *Iſabellam* filiam Petri III Arragoniæ R. ex qua ſuſtulit *Alfonſum*, *Conſtantiam* Fernandi IV Caſtellæ R. uxorem. Hic Academiam Conimbricæ inſtituit. Obiit Sanctarenæ an. 1325. ætatis 64. regni 46.

Alfonſus IV Ferox dictus; uxorem habuit *Beatricem* filiam Sanctii Ferocis Caſtellæ R. ex qua liberos habuit, *Alfonſum* qui puer obiit, & *Dionyſium* qui anniculus deceſſit; *Ioannem*, qui item puer obiit; *Mariam* quæ Alfonſo XI Caſtellæ R. nupſit. & *Petrum* & *Leonoram* Petri IV Arragoniæ R. uxo-

uxorem. Obiit Oliſipone Anno 1357. ætatis 67. Regni 31.

Petrus Alfonſi IV fil. crudelis dictus, duxit uxorem *Conſtantiam* filiam Joannis Emanuelis Infantis: è qua ſuſtulit liberos, *Ludovicum* ſtatim extinctum, *Fernandum, Mariam* uxorem Fernandi Arragoniæ Infantis. Obiit Eſtremotii Ann. 1368. ætatis 47. Regni 10.

Fernandus Petri & Conſtantiæ filius uxorem duxit Leonoram Telliam, à viro abductam, contra Regni procerum ſententiam. Obiit ſine legitimis liberis Oliſipone Anno 1383. ætatis 43. Regni 16.

Ioannes primus, qui ob multa memorabiliter ab eo geſta, Rex bonæ memoriæ fuit cognominatus, filius fuit illegitimus Petri Regis. Duxit in uxorem Philippam filiam Joannis Ducis Lancaſtrenſis; ex qua ſuſtulit, *Blancam*; *Alfonſum*,

fonſum, qui juvenes obierunt: *Eduardum*: *Petrum* Ducem Conimbricenſem virum bello & pace clariſſimum: *Henricum* ducem Viſeenſem: *Ioannem* S. Jacobi militiæ magiſtrum: *Fernandum* magiſtrum militiæ Aviſienſis: *Iſabellam* quæ Philippo III Burgundiæ Duci &c. nupſit. Obiit Anno 1433. ætatis 76. Regni 48.

Eduardus Joannis fil. duxit uxorem Leonoram Fernandi I. Arragoniæ & Siciliæ R. filiam; ex qua ſuſtulit *Alfonſum*: *Fernandum* Ducem Viſeenſem *Philippam*; *Leonoram*, uxorem Frederici III Rom. Imperatoris, *Catharinam*: *Ioannam*. Obiit An. 1438. ætatis 37. Regni 5.

Alfonſus V duxit in uxorem Iſabellam Petri Infantis filiam, ex qua ſuſtulit *Ioannem*, qui infans obiit: *Ioannam*: *Ioannem* alterum: Obiit Anno 1481. ætatis 49. Regni 43.

Ioannes II. habuit in matrimonio Leonoram filiam Fernandi patrui, ex qua ſuſtulit *Alfonſum* principem, qui interiit anno 1491. Obiit ann. 1495. ætatis 40. Regni 14.

Emmanuel Eduardi Regis nepos ex filio Fernando & multorum fratrũ ultimus Joanni II. patrueli ſine legitimis liberis decedenti ſucceſſit. habuit tres uxores, Primam Iſabellam Fernandi & Iſabellæ Caſtellæ Regum filiam natu maximam; ex qua ſuſtulit *Michaelem* qui puer obiit. Secundam *Mariam* Iſabellæ ſororem, quæ illi peperit *Ioannem: Iſabellam* Auguſtam Caroli V Imper. uxorem ex qua natus Philippus II. Hiſp. Rex. *Beatricem* quæ Carolo Sabaudiæ Duci nupſit: *Ludovicum* Ducẽ Pacenſem: *Fernandum: Alfonſum* Cardinalem & Archiepiſcopum Oliſiponenſem &c. *Henricum* Cardinalem: *Eduardum*,

dum, (qui duxit Iſabellam Jacobi Brachantiæ Ducis filiam, ex qua ſuſtulit *Mariam* quæ Alexandro Farneſio Principi Parmenſi nupſit: & *Catharinam* quæ Joanni Duci Bragantiæ.) *Mariam*: *Antonium* qui infans obiit: Tertiam uxorem duxit Leonoram Philippi R. Caſtellæ & Archiducis Auſtriæ &c. filiam; ex qua ei nati Carolus brevis vitæ; Maria quæ cælebs vixit. Fuit feliciſſimus princeps & rebus præclare geſtis illuſtriſſimus. Obiit Oliſipone ann. 1521. ætatis 52. Regni 26.

Joannes III. Emmanuelis filius duxit uxorem Catharinam Philippi I Caſtellæ R. filiam, Caroli V Imp. ſororem quæ illi peperit; *Alfonſum* in cunis defunctum: *Mariam* quæ Philippo Caroli F. nupſit & à partu primogenti principis obiit. *Iſabellam*, *Beatricem*, *Emmanuelem*, *Philippum*, *Dionyſium* qui omnes immature obierunt:

runt: *Ioannem* qui Ioannam Caroli v Imp. filiam duxit & ex ea poſthumum reliquit *Sebaſtianum*, *Antonium* qui infans obiit. Ipſe denique obiit Oliſipone ann. 1557. ætatis 95. Regni 35.

Sebaſtianus Joannis III è filio Joanne nepos, avo ſucceſſit trium annorum puer ſub tutela aviæ Catharinæ; quam tamen Henrico Cardinali patruo magno pueri Regis ceſſit. XIV ætatis anno Regni gubernacula ſuſcepit; & anno 1578. in Africa cæſus occubuit cælebs adhuc: ætatis anno 24.

Henricus Cardinalis ſucceſſit. obiit ann. 1580. ætatis 68. regnavit ann. 1. menſ. 5. dies 5.

Poſt hunc Regnum non ſine vi adiit, Philippus Hiſpaniarum Rex eo nomine II. Emmanuelis, uti diximus, è filia Iſabella nepos, vivente etiamtum matertera ejus Catharina Braganciæ Duci nuptâ. De Controverſia inter competito-

res agitata, & quo jure quiſque niteretur, & quis jure potior eſſet, non eſt hujus loci aut operæ definire: pauca tantum ex aliis auctoribus referemus, ne omnino præteriiſſe videamur. Etenim ut Caſtellanus tum imparatos nullo negotio armis oppreſſit, ita nunc ſine armis multo minore negotio jugum illius fuit excuſſum, & diadema Stirpi Braganzianæ impoſitum.

Sed addamus de Duce Brigantino, nunc Rege, pauca, donec plura ſuppeditentur.

Vaſconcellius de Ingreſſu Philippi R. ſub annum XXII. ſupra milleſimum ſexcenteſimum agens: diebus exinde inſequentibus (inquit) nobiliores Dynaſtæ urbem ingreſſi; Dux cum primum Brigantinus, qui Regiæ nihilo conceſſit Majeſtati, quemadmodum pari conſanguinitate Reges attingit Luſitanos; uterque enim tam Phi-

lippus Rex, quam Theodoſius Brigantinus Emmanuelem Luſitaniæ Regem agnoſcunt atavum, ille Regis ejuſdem filiam Iſabellam aviam, Brigantinus Eduardum Iſabellę fratrem refert avum. Eſt Brigantina familia Regiæ Luſitanæ mutuo conſanguinitatis fœdere arctiſſime copulata, cum dotales nurus invicem non ſemel fuerint ſociatæ. Quod fuit in cauſa, cur Brigantina domus in tantam excreverit magnitudinem, ut intra Regni fines vix habeat quo ſe extendat. Ex antiqua noſtrorum Regum conſuetudine & animo in Duces Brigantinos liberali, jus obtinent iiſdem utendi miniſtris iiſdemque inſignibus, ac Reges ſolent; proinde cuſtodes corporis & ſtemmatum reges honorarios ſecum deferunt, iis etiam in locis, ubi Regis curia commoratur; quin & militarium ordinum inſignia conferunt plurimis clien-

tibus, magno eoſdem adaugentes cenſu; quo fit, ut illorum Curiam frequentent è Luſitaniæ primoribus non pauci.

IDEM DE FAMILIÆ hujus origine in vita Ioannis I.

ANte nuptias Joannes ex Agnete nobili puella, quæ poſtea Parthenonis Oliſipponenſis, cui nomen eſt à Sanctis, fuit Antiſtita (vulgus dicit Commendadeira) genuit Alfonſum, cui data uxor Beatrix Nony Alvari Pererii Equitum Magiſtri unica proles addito dotali Comitatu Barcellenſi, & Ducatu Brigantino. Quod fuit illuſtriſſimæ ac pene Regiæ domus Brigantinæ Seminarium, è qua ſummis Regibus ac Principibus Chriſtianis connubia expetita. Hæc ille.

Petrus de Mariz Dialogo quarto de varia Hiſtoria ſcribit, Joannem illum, antequam regnum

adiret (non autem, ut Vaſconcellus, ante nuptias) habuiſſe ex Domina Inez nobili virgine ſeu domicella, hunc Alfonſum filium; de Connubio cum Beatrice conſentit, & dote Comitatus de Barcellos; ſed adjungit oppida Chaves & Guimaranes cum ſuis territoriis, itemque totam regionem de Penhafiel de Baſto, Monte alegre, Piconha, Portelo & Barroſo: & certa loca quæ Coneſtabilis (ut vocat) tenebat inter Durium & Minium flumina. Sed non potuiſſe impetrare à Rege titulum Comitatus genero ſuo; ſed demum ab Infante Don Petro cum regnum gubernaret, titulum ducis Barganzæ accepiſſe. Hunc autem Alfonſum ex iſto matrimonio ſuſtuliſſe duos filios, nimirum Alfonſum qui fuit Comes de Ourem & Marchio de Vatencæ; & D. Fernandum itidem Comitem de Ourem & Marchionem de Villa Viçoſa &

ſecundum Ducem de Barganza. à quo propagata fuerit omnis nobilitas illuſtriſſimæ illius familiæ, & ſupra omnes Hiſpanicas familias maximè inſignis, tam in amplitudine dominii, quam propagine generoſiſſimorum deſcendentium.

SERIES REGUM PORtugalliæ è Vaſconcellio.

HENRICVS Comes. qui obiit anno 1112.

Alfonſus I. Rex. Qui initio Caſtellæ regem patruelem ſuum ingenti prelio ſuperavit ad Arcobrigam (vulgo Arcoz de Val de Vez) dein Albucaranum Pacis Auguſtæ ſive *Badaolii* Regem ad Trancoſum: mox & Iſmarum alioſque Maurorum reges ad Orchium: poſt quam victoriã Rex fuit ſalutatus à ſuis: poſtea & plura oppida & arces infidelibus eripuit, & imprimis Olyſipponem. obiit an. 1185.

San-

Sancius I. qui varia fortuna conflictatus obiit anno 1212.

Alfonſus II. qui obiit ann. 1233.

Sancius II. qui obiit ann. 1245.

Alfonſus III. qui obiit an. 1279.

Dionyſius I. qui obiit ann. 1325.

S. Elizabetha Regina quæ obiit anno 1336.

Alfonſus IV. qui obiit an. 1357.

Petrus I. qui obiit 1377.

Fernandus I. qui obiit an. 1383.

Ioannes I. qui obiit ann. 1433.

Eduardus I. qui obiit an. 1438.

Alfonſus V. qui ſub tutela Petri patrui ad plures annos vixit, quo occiſo, ipſe jam regni potens, aliquot expeditiones in Africam ſuſcepit: ſed dum jus nomine uxoris Joannæ in Regnum Caſtellæ & Legionis perſequitur, magno prælio ad Taurum ſuperatus in, Galliam ſubſidia petiturus conceſſit, filio Joanne interea Regnum ſtrenue tuente: è Gallia re infecta reverſus, obiit anno 1481.

Ioannes II. rebus præclarè geſtis, maximi cognomen hominum fama adeptus, obiit anno 1495.

Emmanuel I. cujus res geſtæ à pluribus ſcriptoribus celebratæ ſunt; obiit anno 1521.

Ioannes III. obiit anno 1557.

Sebaſtianus I. obiit ann. 1578.

Henricus I. obiit anno 1580.

Philippus I. qui obiit ann. 1598.

Philippus II. qui obiit ann. 1621.

Philippus III. ſed Hiſpan. IV. adhuc ſuperſtes.

RESENDIVS LIB. IV.

ANTIQUITATUM LUſitaniæ Regni originem ita deſcribit.

MAgnus Alfonſus Hiſpaniæ Rex qui Toletum expugnavit & Imperator eſt appellatus, ex diverſis uxoribus tres filias habuit, Elviram, Theraſiam & Orracam. Et quidem Elviram ac Theraſiam,

ſiam, Rodericus Toletanus, parum Luſitanis æquus, quique illi adhæſerunt, ex Concubina Simene Munione natas, ut ajunt. Verum apud me Chronicon Hiſpanica vetuſta lingua habeo, factum ſeptuaginta annis ante Rodericum, in quo eadem Simena minime concubina, ſed juxta uxor & Regina diſerte perhibetur. Ad Alfonſum igitur Imperatorem, in aſſerenda Hiſpania laborantem, conveniebant magni viri, militiám ſuam Chriſtiano devoventes. Inter quos emicuere Raimundus Comes S. Ægidii & Henricus Lotharingiæ Comes, ex germana Raimundi natus, quem illa Hungariæ regi, cui nupta erat, ſecundo edidit partu. Hos ut talium neceſſitudine arctius ſe muniret Alfonſus filiarum connubiis ſibi devinciendos exiſtimavit. Elviram igitur Comiti S. Ægidii, Theraſiam Henrico Lotharingiæ Comiti,

miti, Orracam vero trium, ut alii ſcribunt, maximum, ut aliis autem placet, minimum, atque poſt Simenam defunctã, ex Conſtantia uxore natam, Raimundo Comiti ſive Burgundiæ ſive Toloſæ (neque enim inter ipſos Hiſpanicarum rerum ſcriptores ſatis convenit) in matrimonium dedit. Quorum nos opinionibus prætermiſſis de Henrico tantum loquamur, cui valde ſibi dilectam Therasiam tradidit.

Atque ut nexu devinctiore virum maximum quaſi ad manum haberet, Callæciæ partem Bracaros, à Minio uſque ad Durium, totumque id, quod recentiori vocabulo *Portugalle* tunc dicebatur, à Durio uſque ad Luſitaniæ urbem Conimbricam dotis nomine aſſignavit, liberumque ei reliquit, ut de Saracenis Luſitaniam armis recuperaret, ſuoque dominio & ditioni adderet.

Is ex Theraſia conjuge, quæ ſemper Regina appellata eſt, filium genuit Alfonſum Henricum, qui patri ſucceſſit in principatu, & ubi per ætatem licuit, bella geſſit quam plurima, urbes multas expugnavit, Sarracenorum potentiam fregit. Qua re commotus Iſmarius, magnæ partis Africæ, Beticæque Rex, convocatis quatuor aliis regibus, tam ex Africa, quam ex tota ulteriore Hiſpania, tantas congregavit copias, ut millia quadringenta exercitus ſuperaret. His confiſus in Alfonſum properabat, lentis itineribus, ſed animo ad vindictam concitatiſſimo. Nec ille ſegniter proceſſit obviam. In agro igitur Orichienſi paulo infra Caſtrum viride oppidum, non procul à confluente Cobris & Tergis fluviorum, in mutuum conſpectum venientes Caſtra poſuerunt: Inſedit tumulum Alfonſus, ubi vetus ſacellum erat, in

in quo ſenex quidam provectæ ætatis eremiticam vitam agebat, inter Mauros & ob paupertatem & ob vitæ ſanctimoniam, nullius injuria laceſſitus. Iſmarii copiæ prope infinitæ undiquaque campos opplebant, jamque agmina circumcluſa ſpe devorabant. Non videbatur militibus noſtris ſani eſſe conſilii, cum tanta multitudine confligere. Unus enim quiſque ſupra centum hoſtes adverſum ſe in prælio erat habiturus. Sed militum animos oratione ſpei ac fiduciæ plena princeps confirmavit; dimiſſoſque curare corpora jubet, & craſtinum diem, qui Jacobo Apoſtolo Hiſpaniarum patrono ſacer erat, lætos expectare. Cum adveſperaviſſet, Anachorita ille ad Alfonſum venit, atque oraculi denunciatione, forti eſſe animo admonet, ut qua noctis hora tintinabuli, quod in ſacello erat, ſonum audiret, tentorium

egre-

egrederetur, appariturũ illi Chriſtum in aere Cruci ſuffixum. Lætus tam optato tamque inſperato nuntio Alfonſus, totius noctis pervigilio promiſſum expectabat. Primo itaque ante lucem diluculo ad tintinabuli ſonum prætorium egreſſus, ſuſpexit in aere crucifixum Dominum. Cujus viſi voluptate propemodum extra mentem abſorptus, ita adorans dicebat: Ecquid Servator mundi, tune mihi, tune appares? quid eo opus eſt, in te credenti, & te ſumma pietate colenti? perfidis his, tuis atque ideo meis hoſtibus, tuæ divinitatis ignaris, potius apparere digneris, ut Crucis tuæ myſterium intelligant ac deſinant inſanire.

Hæc atque alia his ſimilia, cum ex mentis quaſi abſtractione proſequeretur, Chriſti colloquentis & victoriam pollicentis voce jucundiſſime affectus, in cœlum recepta divina illa ſpecie, arma po-

ſtulat,

ſtulat, armari milites, acies ordinari & canoro tubarum concentu imperat ſignum dari. Quem ex proceribus quidam exercitus nomine adeuntes, poſtulant, inquiunt, fortiſſime Imperator, milites tui, ut regem te ſalutari permittas. Quibus ille: Ego fidiſſimi commilitones, honorificum ſatis inter vos nomen titulumque Principis ſortitus ſum, alium non ambio. Neque ſi maxime expeterem, vel poſcentibus vobis morem gerere vellem, id tempus aut locus non patiuntur. Sed operam dabo, ut vos Ducis veſtri non pœniteat, vos date, ut milites dux non deſiderem. Contra illi, & quæ poſtulas pollicemur, & nobis non deerimus, ſed pro Rege pugnabimus ardentius, vincemus honeſtius, moriemur alacrius. Cum igitur prope intuliſſent vim recuſanti, magnis vocibus & tubarum, lituorum, tympanorumque ſonitu,

itu, ter acclamatum: *Alfonſo Henrico primo Luſitaniæ regi vita & victoria.* Data inde militibus teſſera, ferebatur in hoſtes.

At parte ex alia innumerabilis ille Barbarorum exercitus, tam diſſonis clamoribus, tam horribili fragore perſtrepebat, ut cœlum ruere, terra quaſſari tremoribus viderentur. Commiſſum eſt prœlium ſanguinolentum, pertinax, diuturnum, à prima diei hora uſque ad meridiem; donec Iſmarius, cujus jam vita periclitabatur, quamque maxime noſtri appetebant, rebus deſperatis & amiſſo in conflictu conſobrino, cui ſui corporis cuſtodiam mandaverat, nomine Homor atagor, Halli regis nepote, fugit ipſe, & una reges qui cum eo erant. Tantum autem ſanguinis effuſum eſt, ut ex cædis loco rivuli in Cobrin atque Tergem decurrerent. Quin inſecuta paucos poſt dies pluvia, cum tinctam

atro ſanguine ſuperficiem laviſſe creviſſentque rivi, Terges qui a confluentes Cobrin recipit, etian uſque ad Anam aquas infectas pertulit.

Alfonſus igitur novus Rex, conſueto victoribus more, in caſtris triduo permanſit, & conceſſa militibus præda, ipſe qui eatenus niveo ſcuto utebatur, inſignia commentus eſt, quæ rem ibi geſtam deſignarent. Ac primum quia Chriſtum in aere cruci ſuffixum conſpexerat, in argenteo ſcuto cæruleam crucem formavit. Deinde quod quinque reges viciſſet, ſcuta quinque per ipſam crucem diſtinxit. In unoquoque triginta nummos argenteos figuravit, quod totidem mundi Servator venditus exſtitiſſet.

Mutata à poſteris regibus numorum figuratio eſt commodiori ratione, & in ſingulis quibuſque ſcutis, ſinguli quinque numi poſiti,

ſiti, decuſſatim ad figuram literæ X bis numerato quod in medio eſt & cum à ſummo deorſum & cum à latere ad latus fit ſupputatio ut numerus triginta expleatur. Hæc tunc ibi ſumta inſignia. Caſtella vero aurea ſeptem, quæ in rubro campo ſcuti regii oras ambiunt, ad alterius Hiſtoriæ tractationem pertinent.

Geſta res eſt, ut mei veteres annales habent, æra milleſima centeſima ſeptuageſima ſeptima. Cui annorum numerō ſi demantur triginta & octo, manebit Servatoris Annus CIↃC XXXIX.

X.

DE SUCCESSIONE REgis Caſtellæ in Regnum Portugalliæ.

Ex Hieronymo Coneſtagio.

EMANVEL decimus quartus Portugalliæ Rex regnare cœpit an. cIↄ cccc xcv. Is tres habuit uxores; Iſabellam filiam Ferdinandi & Elizabeth, ex qua ſuſcepit Michaëlem qui puer mortuus eſt. Dein Mariam tertiam Ferdinandi filiam primæ uxoris ſororem, quæ ipſi ſex mares & duas puellas peperit: quarum Iſabella nupſit Carolo V. Imperatori; Beatrix Carolo III. Duci Sabaudiæ; Joannes ſucceſſit patri in regnum; Ludovicus obiit cœlebs, relicto Antonio Notho: Ferdinandus mortuus ſine liberis, uti & Alfonſus qui fuit Cardinalis Sancti Blaſii,

Blaſii, & Henricus Cardinal. tituli Sanctorum quatuor Coronatorum; qui omnibus ſuperſtes regnum poſt Sebaſtianum adiit: Eduardus ex Iſabella Ducis Bragantiæ filia ſuſcepit Mariam quæ Alexandro principi Parmenſi nupſit; & Catharinam quæ Joanni Duci Braganciæ; & Eduardum qui ann. cIɔ Iɔ LXXVI obiit. Rex Emanuel tertio duxit Leonoram filiam Philippi primi Caſtellæ regis, quæ ipſi genuit Carolum qui puer mortuus; & Mariam quæ cœlebs mortua eſt ann. cIɔ Iɔ LXXVIII. Joannes III Emanuelis è ſecunda conjuge filius, duxit Catharinam Car. V. Imperat. ſororem; ex qua nata Maria, prima Philippi II. uxor (quæ ipſi peperit Carolum filiũ qui mortuus eſt adoleſcens.) Et plures mares qui omnes juvenes mortui, præter Joannem qui in uxorem duxit Joannam ſororem Philippi Regis Hiſpaniæ, quam

moriens gravidam reliquit, ex qua natus Sebaſtianus.

Quo in Africa cæſo: ſucceſſit Henricus Cardinalis, qui cum ſenex eſſet & cœlebs, proximam in Regnum Portugalliæ poſſeſſionem petiverunt:

Philippus Rex Hiſpaniæ tanquam natus ex Iſabella primogenita Emanuelis:

Joannes Dux Braganciæ nomine Catharinæ uxoris ſuæ, quã rege Philippo propiorẽ eſſe dicebat. Etſi enim eſſet fœmina, tamen filiam eſſe Eduardi, fratris dictæ Iſabellę.

Alexander Princeps Parmenſis, filius Octavi Farneſii inſtabat nomine Reinutii primogeniti ſui, nati ex Maria filia natu maxima Eduardi & ſorore Catharinæ.

Antonius Prior Cratenſis, filius Ludovici fratris ipſius Regis Henrici, qui ſe non nothum, ut vulgo credebatur, ſed ex legitimo matrimonio natum eſſe dictitabat.

Ema-

Emanuel Philibertus, dux Sabaudiæ, licet eſſet filius Beatricis, natu minoris ſorore ſua Iſabella matre Regis Philippi, à quo & ipſe ætate ſuperabatur, tamen & ipſe regnũ ambiebat, ſed modeſtiſſime.

Catharina Medicea denique vidua Henrici II. Gall. regis, jus à longinquo repetebat, ab Alphonſo nimirum & Comitiſſa Bononienſi, cui Alfonſus ſuperſtiti, aliam uxorem Caſtellanam ſuperinduxiſſet, atque inde factum fuiſſet, ut omnes qui poſt ipſum regnaſſent ſpurii eſſent.

Etſi dux Albanus & unus atque alter ex Procerum Hiſpaniæ numero ſentirent Philippum hæredem regni eſſe: tamen in genere reliqui id nec credebant nec conſiderabant, ſed exiſtimabant jure ad filium principis Parmenſis illud pertinere. Verum Luſitanis qui diligentius hac de re cogitarant, & quorum leges magis favent

Philippo quam ſtatuta Hiſpaniæ, veritas hujus controverſiæ erat perſpectior.

Adducebant hanc rationem, quod jura Luſitaniæ & communia in materia regnorum, proximo ultimi poſſeſſoris cognato ex eodem ſtipite deſcendenti ſucceſſionem deferunt; Sebaſtiano autem neminem eſſe propiorem rege Philippo ex eodem ſtipite deſcendente. nam & nepotum Regis Emanuelis natu maximum & avunculum regis demortui eſſe.

Henricus Rex Cardinaliſque pronuntiat judiciali ſententia Antonium priorem Crateñſem illegitimum eſſe.

Multi Juris conſulti etiam Luſitani pro Philippo reſpondent.

Henricus Rex quod ante fieri oportuerat, citatis competitoribus & judiciali proceſſu inſtituto, cum Philippo Rege certis conditionibus tranſegit.

Hanc

Hanc inexpectatam mutationem Regis quidam putant P. Leoni Henriquio confeſſori Regio & Jeſuitæ potius acceptam ferendam quam argumentis miniſtrorum Regis Philippi.

Rex Philippus interim magnum exercitum in Hiſpania alebat. Papa per Nuncium Philippum Segam offert ſe arbitrum inter Philippum & Henricum. Philippus non nimium Papæ fidebat & in arbitrum compromittendo ſe ſibi ipſi præjudicare exiſtimabat, præterquam quod etiam antiquis exemplis, quibus adſtruitur ſedem Apoſtolicam in controverſiis regnorum Judicem eſſe, novum non temere addendum eſſe putaret. De voluntate autem Henrici certior factus, quoniam jure aperto niteretur, arbitro opus eſſe negavit.

Ex quinque Gubernatoribus regni Portugalliæ quos Henricus

inſtituerat tres Philippo addicti erant.

Henricus ſeptimo decimo menſe regni aditi diſceſſit.

Dux Albanus exercitui Regis Philippi præfectus.

Antonius à populo Rex appellatus. Gubernatores Regni fuga ſibi conſulunt. Elua capta ab Albano; & alia oppida atque arces cepit; mox Setubal, Caſcais, arcem S. Juliani Lisbonam. Averum & portum. Vianam. Rex Philippus Oliſiponem venit. Antonius in Galliam fugit, Albertus Archidux Auſtriæ Portugalliæ præfectus.

A JOSEPHIO TEXERA in Exegeſi Genealogica hæc loca è Coneſtagio citantur.

Conneſtagius lib. 3. Regis Catholici procuratores nihil omnino eorum præteribant, quæ ipſorum inſtituto inſervire exiſtimarent. Et Mora ad hanc rem

quod

quod attinet, magnis officiis perfunctus eſt, cum apud Regem Henricum, eoſque qui gratia apud ipſum valebant, tum apud nobiles, ſummoſque viros. Adeo ut multos validis argumentis, alios quidem muneribus, alios pollicitationibus, præſtando, idque & verbis & factis & Chirographis omnium quotquot poterat animos & voluntates ad Regem Catholicum converteret. Quæ quidem pecunia, nimirum pollicitationibus nobilitatis captandæ ratio, tum temporis profuiſſe videtur.

Italice ita ſe habent. *Gli Agenti (del Re Catholico) valeranſi di tutti quei mezi, che lor pareva à propoſito, e il Mora fece in queſto particolare grandi ufficii, non ſolamente col Re Arrigo & coi favoriti ſuoi; ma con nobili & ſignori di qualità, di modo che a molti con vivi ragioni, ad uno dando, ad un altero offerendo, in fatti, in parole,*

& in iſcritto, andava trahendo alla devotione del Re Catolico tutti quelli, che poteva, è queſta parte di attaſtar quei nobili, di moneta, è di promeſſe parve che giovaſſe allora.

Eodem libro; Interea Philippi oratores cum regem Henricum de jure Philippi erudiviſſent, unaque oſtendiſſent, quid boni, malive à tradendo aut non tradendo regno oriri poſſet: cum ipſe ad Juſtitiam propenſus eſſet, ab ea impulſus & metu belli, re diu multumque perpenſa, relictis cogitationibus iis, quibus antea ad Catharinam propendebat, decrevit pro virili regnum Phliippo tradere, iis quibus poſſet rationibus commodioribus.

Ibidem. Hujus inopinati Regis conſilii, aliquorum opinio eſt, cauſſam extitiſſe potius P. Leonem Henricum, ordinis Jeſuitarum, regium confeſſorem, quam argu-

argumenta miniſtrorum Catholici Regis, & ab eodem, cum Rex illi multum tribueret & crederet, Regis in Bragantiæ Duciſſam propenſionem profectam eſſe, ſed iram Philippi metuentem, poſtea Henrici Regis cogitationes ad ipſum convertiſſe. Quamobrem menſe Octobri, *Anno 79.* Rurſus omnes Regni Civitatum & oppidorum procuratores, alioſque ordines evocavit, eo nomine, quod vellet eos de peculiari quopiam, eoque magni momenti negotio certiores facere. Hoc Henrici de convocandis ordinibus conſilium à Philippo improbatũ fuit. Quod, cum Portugallos erga ſe parum propenſos intelligeret, compertiſſimum haberet, ſi ſemel conveniſſent, numquam eos de Regno ſibi tradendo conſenſuros.

Lib. 4. Artes, quibus erga nobilitatem uſi fuerant Regis Catholici Procuratores, maximos eſſe-

effectus pariebant. Quare in tanta diverſitate ſententiarum, non multi reperiebantur nobiles, quod magna pars eorum ſponte in Regis partes propendebat, aut corrupti tacebant, aulaque excedebant, ne animum ſuum declarare cogerentur. Ex Electis quinque Regni Gubernatoribus, tres Regi Catholico obſequi parati erant.

Ibid. Magnam Rex voluptatem percepit ex reſponſo, ordinis tum Eccleſiaſtici, tum Nobilitatis, quibus cum ipſe juris Regis Philippi vim oſtendiſſet, propoſuiſſetque, non abs re fore cum ipſo paciſci, omnes ei gratias egerunt. Ac illud quidem verum eſt, inter nobiles non parvam ortam eſſe diſcordiam, ut ad hanc deliberationem accederent. (*per venire à queſta reſolutione.*) Quod cum omnes ad numerum viginti & octo redacti eſſent, remque totam unius ſuffragio permiſiſſent, tandem re-

gis Catholici factio ſuperior evaſit, non parva cum adverſæ partis indignatione. *(perche ſendo ridotti tutti al numero di venti otto, e meſſo il partito a ſuffragi, di un ſolo, pervalſe la parte del Re Catholico;* id eſt, quum omnes ad numerum viginti & octo redacti eſſent, & in ſuffragia itum fuiſſet, uno ſolo ſuffragio prævaluit pars Regis Catholici.) Quam quidem rem multum adjuvit diligentia & pollicitationes Procuratorum Regis Catholici.

Lib. 7. Quam ob rem undecima die Septembris in ædibus Ducis (Albenſis) præſtitum fuit rite juramentum: & ſequenti die à prandio magiſtratus cum vexillo & tympanis bellicis in publicum prodiit, nomenque Regis Philippi more ſolito proclamavit, voce tamen rauca (*voce fioca*) parvoque populi concurſu. Ac ubi in aliorum Regum acclamationibus

magni applauſus, & riſus, hic contra nihil, præterquam tacita ſuſpiria, ſummiſſæque lamentationes audiebantur: etſi nonnulli riſum & fletum, lætitiam & dolorem per adulationem miſcerent.

Lib. 8. Dum hæc agerentur in Gallia & Belgio, Rex Philippus, qui adhuc in Portugallia commorabatur, decrevit ſatisfacere Luſitanis, qui cum aſſiduo ac importune mercedem poſtularent, in fine fuerunt expediti, conceſſis multis crucibus, multis reditibus, ac omnibus officiis quæ illis poſſent concedi, non ſine magno dolore Caſtellanorum; quippe qui vociferantes affirmabant, regnum illud pertinere ad Philippum pluribus ac juſtis titulis; ſi quidem illud *hæreditaverat*, *Emerat* atque *Debellarat*..

Ibid. Illa diſtributio à duobus deputatis ſumma cum liberalitate facta eſt, quæ tamen in Regis favo-

favorem nihil attulit emolumenti, neminique grata fuit. Nam quum duæ Luſitanorum ſpecies forent remunerandæ, prima videlicet, eorum, qui tempore Henrici, ac Gubernatorum, (ab emiſſariis Regis Philippi) ut ejus partes ſequerentur pecuniarum & honorum promiſſa acceperant, &c. Qua in re, miniſtrorum imperitia, errores ſequuti ſunt, cum pollicitari facilius ſit, quam dare. Large Regis Procuratores polliciti fuerant, non ſolum illis, qui cauſæ prodeſſe poterant, ſed multis etiam aliis parvæ authoritatis, ac humilioris conditionis.

Concludit Texera: His ſupradictis, manifeſtiſſimum evadit, Sereniſſ. Regem Philippum illicitis artibus, nimirum pecuniæ largitione, magnificis pollicitationibus, gravibus etiam minis regnum Portugalliæ extorſiſſe potius, quā obtinuiſſe: ut mirum nulli videri

debe-

debeat, ſi luctuoſſima Portugallia funeſtum illum ſuum caſum flebilibus toties, tantiſque querimoniis & lamentationibus deploret.

Thuanus lib. LXV. *Hiſtor.*

Cum Regis Henrici orbitas & effœta ejus ætas ac valitudo inproſpera brevi regnum vacaturum minarentur, qui illud ambiebant jam tum quaſi candidati in medium prodire, proceres Regni ac populi gratiam prenſare, & vivo ipſo Henrico veluti hæreditatem ejus cernere. Princeps eorum Philippus fuit ex Iſabella Henrici ſorore & Emanuelis majore natu filia natus. Dein Philibertus Emanuel Dux Sabaudiæ ex Beatrice altera Emanuelis filia & ipſe natus. Præterea Ranutius Farneſius Alexandri filius, Octavii Parmenſium Ducis N. qui ex Maria Eduardi itidem Henrici fratris filia prognatus erat, & Catharina altera Eduar-

difi-

di filia, quæ Joanni Bracantiæ Duci nupſerat. Et Catharina quidem Ranutiũ Maria matre ante annum defuncta tanquam proximior, licet natu minor excludere videbatur. Reſtabat certamen inter Philippum & Catharinam pari gradu Henricum contingenteis: Catharina tanquam Eduardi maſculi filia, qui Iſabellam Philippi parentem proculdubio excluſiſſet, Philippo præferri debere contendebat; contra ille Eduardo ſemel mortuo ejus rationem nullam habendam dicebat, ſed tantum gradum inſpiciendum, in quo maſculus fœminam excludit. Hæc ita primum propoſita, dein à celeberrimis Italiæ & Hiſpaniæ juriſconſultis etiam publicatis ſcriptis Bononiæ & aliis in locis agitata ſunt. Inter competitores & Antonius jam tum apparebat, qui ſe Ludovici Henrici fratris filium jactabat; & conſtabat Ludovici filium

eſſe; ſed ex contubernio Jolandæ natum. is tamen quamvis Henrico ſumme inviſus, populi favore ſublevabatur. Iis omnibus poſtea acceſſit Catharina regum noſtrorum parens, repetito altius neque citra invidiam jure ſuo; Sic enim Oratores ejus diſputabant. Sanctio II. tanquam rebus agendis impari à regni gubernaculis remoto, & ſumma rerum Alfonſo ejus fratri, (qui ex Mathilde Bononienſi, à qua Catharina genus ducebat, filios ſuſceperat;) commiſſa, illum non ſolum regni adminiſtrationem ſumſiſſe, ſed etiam annuente Innocentio IV. Pontifice fraternum regnum invaſiſſe circa annum cIↄ cc xLVII: in quo ut potentiam firmaret, prioris conjugis quam in Gallia reliquerat, pertæſum, Batricem Alfonſi decimi Regis Caſtellæ filiam altera viva ſuperinduxiſſe, & Dionyſium atque alios ex ea liberos ſuſcepiſſe, qui proin-

proinde illegitimi ab eo tempore in regno ſucceſſerunt, & per Joannem I. & ipſum Petri I. filium ſpurium, qui regnum circa annum cIↄ ccc xxciii invaſit, ad Henricum uſque propagati ſunt: & quia temporis longinquitas obſtabat, & præſcriptio merito objici poterat; illi in poſſeſſionibus violentis nullo tempore præſcribi contendebant, & ſaltem petebant, ut quando res eo rediiſſet, ut cunctis maſculis deficientibus res quaſi ad electionem rediret; ſui ut antiquiſſimum in eo regno jus habentis ratio haberetur. Pontifex & ſuas partes interponebat, Portugalliæ regnum R. S. beneficiarium dictitans, ac proinde Regis in eo conſtituendi jus ſibi vindicans. Quod tanquam ridiculum protſus ab omnibus æque habitum, & à Philippo ipſo poſtea omnino exploſum eſt.

Dux Oſſunæ cum Gardiola J. C.

ad Henricum miſſus, cum cognoviſſet Henricum magis in Joannem Bracantiæ Ducem, qui Catharinam Eduardi fratris F. in matrimonio habebat, ut cauſa potiorem propendere, per Jeſuitas, qui plurimum apud eum poterant, ipſum ſollicitat & contrariis rationibus jus Philippi potius eſſe demonſtrat. Tum addit Philippo infeſto Bracantiæ ducem tantæ moli ſuſtinendæ imparem futurum, & excitato de ſucceſſione bello, fore, ut tantarum navigationum & tot annorum in propaganda per Indias Chriſtiana religione inſumtorum fructus brevi tempore amittatur. Quæ rationes non mediocriter labefactarunt primum Henrici alioquin meticuloſi propoſitum; eoque magis quod videret ipſum Bracantię Ducem eodem tempore per Philippi procuratores inde minis territum, inde promiſſis ingentibus ineſcatum, ſi ejus

ſi ejus voto non adverſaretur, in eo negotio tepidius verſari, quippe qui ſuæ infirmitatis ſibi conſcius plus in potentiſſimi Regis gratia, quam in dubia proprii juris perſecutione præſidii poneret. Ita præcipuo competitore, cui fere tota Luſitana nobilitas favebat, in ordinem redacto, reſtabat ut Philippus ſibi plebem Oliſiponenſem devinciret, ad quam ille præcipitato conſilio mox dedit litteras. Iis litteris, quod præmature ſcriptæ viderentur, immane quam commoti ſunt non ſolum Oliſiponenſes ad externi & Caſtellenſis principis dominatum cohorreſcentes; ſed præcipue per Luſitaniam plebs ob antiquas cum vicinis Caſtellenſibus ſimultates. itaque nullo dato ad Philippum reſponſo, habita in Camera, quam vocant, Oliſiponenſi deliberatione cui duo ex plebeio ordine interſunt, apud Henri-

cum inſtant, ut ipſe ſucceſſorem indigenam ſecundùm Regni leges nominaret; in eamque rem, ut omnem ex animo meticuloſi ſenis ſcrupulum eximerent, viginti millia armatorum, qui ipſorum ſumtibus Regi militarent magna fiducia offerunt, ſi qui forte eſſent qui caritatis patriæ obliti & Luſitani nominis ſtudioſi Regi contradicere, & nefanda proditione externos in Regnum per vim inducere auderent.

Anno cIɔ Iɔ LXXIX. *Lib.* 69. Comitiis ad Kalend. April. indictis, Henricus Cardinalis habitum & ſceptrum manu geſtans cum Bracantiæ Duce ac magno comitatu venit, & in pegmate ad id parato ſub Vraniſco conſedit. Alfonſus Caſtroblancus ſacerdos orationem abſurdæ atque adeo impiæ adulationis plenam habuit, Rege cum rege cœlorum comparato & conventu ordinum cum ſacro-

ſanctis

ſanctis Synodis: variabant ſententiæ, alii nulla dilatione interpoſita de regni ſucceſſione decernendum cenſebant; alii cautius procedendum, viamque juris ſervandam, ut qui jus in eo ſibi arrogabant citati audirentur; alii, ut interim ſiquid Regi humanitus accideret, gubernatores regni crearentur; alii indeciſa ac confuſa omnia cupiebant. Rex mediam viam elegit: & è xv ab ordinibus nominatis, V. elegit gubernatores, quorum nomina ſecreta in capſam conjecta, Oliſiponenſi Magiſtratui tradita, nominati rurſus XXII, ex quibus Rex XI elegit, qui ſi Regem ante litem de Regni ſucceſſione terminatã mori contingeret, cum plena poteſtate eam dijudicarent; Bracantiæ dux cæterique proceres, antiſtites ac cæteri ordines Sacramento adacti, gubernatoribus à Rege creatis & ei ſecundum quem delecti judices

pronuntiaſſent, tanquam legitimo Regi ſe parituros. Actum & de Regis matrimonio, & gratiæ à Pontifice impetrandæ cauſa miſſus Romam Eduardus Caſtroblancus. Philippus per Chriſtophorum Moram certior factus protinus ad Oratorem ſuum qui Romæ erat, ut omni ratione Pontificem à gratia ducendæ uxoris Henrico facienda dimoveat, ſcribit. Miſit & Domicanum ad Henricum qui illum ab uxore ducenda deterreret, qui ſtatim cum offenſionis ſpecie dimiſſus. Citati procuratores mittunt: Cauſa agitata: Jus Catharinæ reginæ, ut longius petitum, neque veris fundamentis nixum, exploſum: Antonius illegitimus declaratus; Reſtabat Philippus, Sabaudus, Ranutius & Bracantinus, qui dum quiſque contrariis rationibus ſe invicem oppugnant, jus ſuum in dubium revocabant. tandem poſt

ſceni-

ſcenicas illas concertationes, cum nihil decerneretur, ſinguli conſultationes pro jure ſuo ad Pontificem & principes Chriſtianos mittunt. Inde occaſione ſumpta regni ordines & præcipue Oliſiponenſes quaſi extincta maſcula prole & incerto ſuccedentium jure rem ad electionem deductam contendebant, idque ſibi juris arrogabant. Philippus qui ſtatuiſſet jus ſuum armis perſequi, Henricum novis machinis adoritur; cunctaque ad bellum neceſſaria parat: aditus omnes in Portugalliam accurate obſervari curat: colore tantis apparatibus quæſito, quod Algerianam expeditionem meditaretur. At Henricus qui ex Oſſunæ verbis & apparatibus belli, quid ſibi Philippus vellet, non ignoraret; paulatim labare cœpit, à Leone Enrice ex ſocietate Jeſu, qui ei à ſacris confeſſionibus erat, potius quam à

 Philip-

Philippicis oratoribus ut creditur perſuaſus; & tandem manus dedit & in arcano plebis tumultum veritus, cum Philippicis tranſegit, additis conditionibus de certis dignitatibus quæ in Regno ſolis Luſitanis attribuerentur.

Anno cIↄ Iↄ LXXX prid. Kalend. Feb. Henricus moritur, re nondum cum ordinibus Regni tranſacta. Gubernatores in tabulis nominati magiſtratum ineunt. Philippus ad illos dat litteras, petens, ut ſe juxta Henrici avunculi voluntatem, ſine dilatione regem declararent, additis promiſſis & minis. Illi tantiſper à bello abſtineri petunt dũ Legati ſui audiantur. Rex Albanum è ſeceſſu ſuo ad exercitum mittit. Marchio Sanctæ Crucis claſſi præpoſitus. Gubernatores ſe ad defenſionem comparant. Antonius à populo Rex acclamatus XIII Kalend. Quintil. Elua Philippicis aperta. Oliven-

Oliventia; campus major; Aruncanum, Portalegia, Moran, Serpa. Antonius VIII. Kalend. Quintil. in urbem Oliſiponenſem citra certamen receptus. novi magiſtratus è vilibus & fere indignis creati. Joannes Tellus cum aliis ad Gubernatores transfugit, per vim pecuniam ab invitis mercatoribus in urbe extorquet, carceres aperit & maleficos conſcribit, item Afros, Mauros & Æthiopes ſervos. Auxiliares à Gallis atque Anglis petit. Gubernatores è Cetobriga profugiunt. Caſcajum deſertum & in fidem acceptum. Cetobriga munita. Alvarus Luſitaniam cum exercitu ingreditur. Eſtremoſium captum. Mons major advenienti patuit. Ebora item. Cetobriga per vim capta & direpta. Turris ad portus fauces dedita, Caſcajum deinde captum & direptum, Didacus Meneſes ſecuri percuſſus. Arx Juliana dedita. Munitio

nitio cui Caput ſiccum nomen, deſerta: prælio dein ſub urbe certatum, in quo Antonius victus pèr urbem tranſiens aufugit. Urbs Oliſippo dedita; ſuburbium per triduum crudeliter direptum. Antonius poſt multa fruſtra tentata, & miſerum per aliquot menſes latibulum, tandem in Galliam incolumis evaſit.

E I. Caramuele Lubkovvitz.

PRo Sereniſſima Infante Catherina (quæ Duci Brigantino nupſit) ſcripſerunt quam plurimi, ſed tantummodo mihi noti ſequentes.

Licentiatus Afonſus de Lucena, Ducum Braganzæ Advocatus, atque redituum Procurator.

Doctor Felix Teixeira, etiam Advocatus Ducum Braganzæ, ac redituũ & expenſarum Procurator.

Iaime de Morais, Colimbricenſis Univerſitatis doctor in jure Ponti-

Pontificio emeritus, & Cathedræ primariæ Moderator.

Doctor Antonius Velaſco Cabazo, Juris Cæſarii præpoſitus lectioni veſpertinæ.

Doctor Ludovicus Correa, decreti Cathedraticus.

Doctor Emanoël Soarez, qui obtinuit Pontificii juris Cathedram veſpertinam.

Doctor Rodericus Lopez de Veiga, qui Cathedram Digeſti veteris:

Doctor Chriſtophorus Joannes, qui ſexti libri:

Doctor Ludovicus Baſto de Brito, qui Digeſti novi:

Doctor Alvarus Dandrade, qui Juris Pontificii:

Doctor Franciſcus Rabello, qui ejuſdem Juris:

Doctor Gondiſallus Ægidius, qui trium librorum Codicis:

Doctor Petrus de Alpoim, qui Codicis obtinuit Cathedram.

Edi-

Editæ ſunt Lucubrationes horum Colimbricenſium Profeſſorum anno 1580. in folio apud Antonium Ribeirum.

EX SPECULO TYRANdis Philippi Regis Caſtellæ in uſurpanda Portugallia.

Edito Pariſiis 1595.

INterea ſi fæminas ad ſucceſſionem, vel ad ea quæ ſpectant ad ſceptrum, & coronam ejuſdem regni Portugalliæ admittamus, (quod tandem prohibitum eſt per legem, quam Mentalem vocamus, qua mulieres procul à regno, Regiaque ſucceſſione ſemoventur) Domina Chatharina Bragantiæ Duciſſa ſine controverſia vera & legitima hæres eſt Portugalliæ Monarchiæ. Id multis rationibus probarunt præcipui Doctores Academiæ Conimbricenſis numero tredecim, Henrico Cardinale,

Portugalliæ Rege vivente: Doctores Bononienſes, in Italia & Peruſini, ac etiam plerique alii aliarum nationum. Quam, inquam, materiam pro parte affirmativa quivis ſtudioſus apud M. P. Be. Ju. Th. libro de jure Chriſtianiſſimæ Reginæ Matris Catherinæ de Medicis in Regno Portugalliæ, optime diſcuſſam facile poterit invenire.

Quod vero ad Catharinæ & Philippi jus attinet, fatemur ipſum Philippum (ut ait) maſculum eſſe, atque Emmanuelis Regis nepotem ſeniorem ex filia primogenita Iſabella, at, quod ob id ſit hæres Regni Portugalliæ, negamus. Nam quod Philippus poterat lucrari per ſe, quia maſculus, perdidit jam per matrem, quia fæmina. Quod item Catharina per ſe poterat perdere, quia fæmina, lucrata eſt jam per patrem Eduardum, quia maſculus. Quoniam ſi, mortuo

tuo Emmanuele vel Henrico, Portugalliæ Regibus, Eduardus & Iſabella ejus ſoror viverent, Eduardus ipſe patri Emmanueli ſive Henrico fratri ſeniori ſine controverſia ſuccederet. Ergo Philippus, cum populi electione exiſtente, tum fœminarum admiſſa ſucceſſione, nullum jus habet in Regno Portugalliæ, eademque ratione hodierna die per Orbem univerſum à viris doctis & piis, qui rem ſine affectu aut partium ſtudio, ut eſt, inquirunt, Tyrannus in Regno Portugalliæ eſt judicatus, habitus vocatus. Cedat igitur Philippus is Antonio, cedat Catharinæ, cedat & Raynutio Parmenſi Principi (in cujus favorem Doctores Ticinenſes, prædicti Philippi ſubditi palam judicare non erubuerunt) eorumque legitimis ſucceſſoribus, quippe qui majus jus in Regno Portugalliæ obtinent.

De tota hac quæſtione ſuperioribus

ribus annis ſcripſit I. Caramuel Lubkovvitz prolixum librum; quo probare conatur Philippum Hiſpaniarum Regem optimo jure Regnum Portugalliæ poſſediſſe, & ſucceſſores ejus poſſidere. Laborat autem maxime in jure Catharinæ Ducis Braganzæ uxoris refutando. Ita ut operæpretium fuerit pauca hîc inſerere.

Primo agnoſcit: Infantem hanc non debere excludi à ſucceſſione qua Fæminam; eoſque qui illam iſto titulo eliminant, eſſe omnino imperitos legum Luſitanarum, quas ſpecialiter debemus ſequi.

Secundo negat: Repræſentationis beneficium debere admitti in ſucceſſione Regnorũ Portugalliæ.

Verum quum ipſi objicerentur praxes in multis Regnis Europæ; Reſpondet: ſe non teneri ſubſcribere decretis peregrinis. Et quum & Hiſpanorum leges objicerentur; & exempla ex quibus patet,

Repræſentationis beneficium admiſſum eſſe in Hiſpaniâ; Reſpondet: ante Philippum II. nomine Hiſpaniæ vix intelligebatur Portugallia. Sed objicitur & Lex & conſuetudo Portugalliæ: hic vero operæpretium eſt videre quam inficete reſpondeat.

Venis (inquit) ad ipſam Coronam Luſitaniæ; inque ea debere habere locum Repræſentationis beneficium probas ex Reg. Joannis I. Teſtamento, in quo legitur.

Item Fazemos noſo Teſtamenteiro, & compridor de todalas couſas, que aqui em eſte Teſtamento mandamos, & eſtablecemos o Infante Duarte meu Filho primogeneto, & heredeiro, que prazendo a deos deſpois de noſſos dias ha de ficar por Rey & Senhor deſtes Reynos & Senhorios; ou ſeu Filho, ou Neto lidimo deſcendente per linha direita, ſegundo ſe requere per directo & coſtume em ſoccesſam deſtos Reinos & Sen-

& Sennorios; ou en algum de meus Filhos per ſuo directa Ordenanza: S. premeiramente O Infante Don Pedro, & deſpois de ſua morte ſeu Filho, ou Neto na maneira dita.

Audi D. Joannem mea induſtria jam latine loquentem: *Inſtituimus noſtrum Teſtamentarium, exſecutoremque omnium legatorum, quæ in hoc Teſtamento exponuntur, Infantem Eduardum Filium meum primogenitum, hæredemque qui Deo auſpice ſuccedet mihi deviventi Rex & Monarcha in his Regionibus, Provinciiſque, aut ejus filium, aut Nepotem legitimum per rectam ſeriem deſcendentem, ut requiritur ex jure & uſu in ſucceſſione horum Regnorum; aut ex meis Filiis aliquem per rectum ordinem: ſcilicet primo Infantem D. Petrum, & poſt ejus mortem ipſius Filium aut Nepotem, juxta normam expoſitam.*

Juriſconſultis D. Infantis Ca-

tharinæ hoc teſtimonium videbatur intentum penitus conviciſſe; ſed ut vidiſti, de Teſtamentariis agit, non vero de ſucceſſione in Regno. Idcirco Teſtamentarium nominat Eduardum, vel ejus Filium, Nepotemve, vel ſuum Filium alterum Petrum, ejusve filium aut nepotem.

Dicis, poſſe aliter Luſitanicum textum latinum fieri, nempe: *Inſtituimus noſtrũ Teſtamentarium legatorumq; omnium exſecutorem *** Infantem Eduardum Filium meum primogenitum, hæredemq;: qui Deo auſpice ſuccedet mihi poſtumo Rex & Dominus in his Regnis Dominiiſq;, aut ejus Filius, aut ejus Nepos legitimus deſcendens per lineam rectam, ut requiritur ſecundũ jus & uſum in horum Regnorũ ac Dominiorum ſucceſſione; aut aliquis ex meis Filiis per eorum rectã categoriã: ſcilicet, primo Infans D. Petrus & poſt eũ ipſius filius*

lius aut Nepos, juxta modũ expoſitũ.

Torquetur, inquit, ſenſus ad ſucceſſorem decernendum, qui tantum Teſtamentarium deſignabat. Cæterum, eſto, determinet qui debeant ſibi deviventi ſuccedere. Ait ſibi poſtumo aut Eduardum, aut ejus Filium, aut Nepotem, aut ſuum alterum Filium Petrum nomine, aut hujus Filium aut Nepotem ſufficiendum eſſe. An non hoc quomodocunque verum? diſjunctiva propoſito eſt: illa autem disjunctiva eſt vera, cujus pars altera eſt vera. Ideo ex hoc Teſtamenti textu nihil colligitur contra jam datam ſolutionem; quia ſive admittatur repræſentatio, ſive non, ſemper verborum tenor poterit propriiſſime verificari.

Quomodo quæſo? nam ſi Domina Infans Catharina non excluditur quia fæmina eſt, & repræſentatio jure & conſuetudine in Regno Portugalliæ obtinet, omnino

cauſa Infantis Catharinæ potior eſt quam Philippi: eſt enim filia Eduardi; potuiſſet autem Philippum excludere etiamſi tantum Eduardi neptis fuiſſet; eo uſque enim patet è Teſtamento illo repræſentationem valere. Sed videtur hoc ſuboluiſſe, itaque addit.

Cur hoc non addam? Etiamſi littera eſſet expreſſe contra nos (quæ,ut vidimus, nec impugnat nec favet, ſed decernit ſucceſſorem eſſe futurum hunc vel alterum,juxta regulas juris decernendum) unde ſcimus illam eſſe authenticam? an credere debemus adverſariis Archivorum poſſeſſoribus,qui ſaltem potuerunt omnia autographa invertere, alterare, mutare? Accedit quod Antonius à Gama dubitet de veritaté hujus Teſtamenti, decis. 174. num. 14. & alii multi: ideo impune potuiſſet rejici, ſi aliquid contra nos judicaretur ſtatuere.

Quis

Quis non videt hominem fluctuare? modo ait, modo negat: cæteris argumentis haud magis dextre defungitur; conſulant qui volunt: unam tantum ejus reſolutionē adjiciemus, lib. 2. ſub finem.

Defectionem fecit à Legionenſi Rege Afonſus Filius Henrici Comitis, ut ſæpe vidimus; ideo Legionis Rex poterit ſibi recuperare ſupremam in Portugalliam Auctoritatem, quam injuſte perdiderat & ſine cauſa. Hæc ratio non urget quo minus poſſit Algarbiam ultramarinaſque regiones invadere, quia Braſilia & India nuſquam Catholico Regi ſubfuerunt; & Algarbia, quæ ſubfuit, data fuit ab Alfonſo Rege Sapiente in Filiæ dotem.

Primo dicendum eſt, Recuperationis titulo potuiſſe Legionenſes Reges reſumere ſibi unam & ſolam Portugalliam.

Præterea debet Luſitania Legionen-

gionenſium Regi vectigalia 436. annorum. Certe bella ſine expenſis maximis non fiunt: illa & has potuiſſet Legionenſis Rex ex Regno Algarbiæ & Indiis ſumere. Quantæ autem in bellis expenſæ fuerint factæ, nec liquido conſtare poteſt: nec dubitemus licet, Indias & Algarbiam pro pignore ſumi debere, quouſque illi reſtituerent expenſas omnes.

Sed hæc ſufficiant in præſenti; non enim eſt animus relegere ſupputatorios codices, ſed expendere doctrinam generalem. Pro expenſarum pignore, Algarbia India atque Braſilia ſub Legionenſi ſunto, quouſque ſumtus militares ſolvantur: quandiu ſint ſubfuturæ: pertinet ad Arithmeticos, non vero ad Scholaſticos.

Non putavit umquam fore ut legitimus hæres ſua à malæ fidei poſſeſſoribus reciperet, ideo homo Scholaſticus etiam miſeris illu-

illudit; ſed quid hodie illi dicant audiamus.

Jus, & Juſtum de Regni Luſitani ſucceſſione in ſereniſſimâ Ducum Brigantinorum gente, communi doctorum virorum ſententiâ, Portugalliæ legibus, conſuetudine, populorum, atque adeo ipſius Naturæ principiis toties comprobatum, Divinâ tandem favente clementiâ, erupit.

Orbi igitur univerſo Luſitani Proceres, & reliqua Luſitania, autoritate juris gentium, notum facimus, Nos unanimi concordiâ, votoque tandem verum, ac legitimum Portugalliæ, atque omnium ſuæ ditionis Regnorum, & Provinciarum hæredem, ac ſucceſſorem *Ioannem* Ducem Brigantinum, jam Regem hujus nominis IV. (quod felix ſit, & fauſtum) declaraſſe.

Ad hæc, Catholicos Caſtellæ Reges à Philippo II. (qui Prudens

vulgo cognominatur) nullo unquam, vel recuperandæ autoritatis, aut provinciæ, vel hæreditatis jure, (quod vigilantes aliqui ſomniarunt) ſed vi, rapinâ, fraude, injuriâ intruſos, & Luſitaniæ rebus hactenus potitos,

Nos invitos, per ſummam violentiam, proprio jure fraudatos, nullo animi aſſenſu ſuis ſanctionibus paruiſſe.

Nullam hucuſque occaſionem, in quâ præfatam omnium Noſtrûm mentem libere, & tuto palam profiteremur, oblatam: hanc vero ſummo Dei O. M. beneficio vix oſtenſam libentiſſimo, & conformi animorum nexu arripuiſſe.

Enormem, exlegemque Caſtellanorum imperandi rationem.

Sacra, & profana ſimul irreligioſe miſceri: Sedis Apoſtolicæ Vicarium irreverenter tractari, pacta, jurataque in Regni comitiis fœdera temere violari.

Summam Reip. curam fœminæ primum, tum hominum vel improborum fæci collatam, ac furtim, & per latrocinia potius, quam vel fucatis artibus adeptam.

Viros domi, & militiæ claros, ac veram virtutem perniciosę paucorum, novorumque hominum potentiæ poſthaberi.

Alimenta ipſa hominum miſerorum per fœdam, & aſſiduam tributorum exactionem: ingentes, ex Luſitaniâ redditus: Braſiliæ, atque Indiæ proventus in ſpectaculis, in deliciis, in exſtruendo mari, & montibus coæquandis, profundi.

Regni Luſitani ſuccum, vires, ſanguinem, hoc eſt, ærarium, arma, gentem minui:

E primâ nobilitate viros Madritum, ſpecie conſultationis accitos, tantum non vinctos, retineri; & quod reliquum nobilitatis ſupererat inſtantiſſime evocari.

Sum-

Summos honores, Ordinum militarium inſignia, infamis notæ hominibus vendi:

Regnum inclytum Luſitanum in provinciam, hoc eſt, in extremam ſervitutem velle redigere:

Hæc, & plura vel his ſimilia, vel pejora, homines, quibus virile ingenium eſt (quamquam (quod negamus) legitime Philippi regnarent) ultra pati, nec potuiſſe, nec debuiſſe, nec decuiſſe, nec voluiſſe.

Merito ergo libertatem Patriæ quæ nuſquam gratior extat, quam ſub Rege pio, rebus omnibus, & vitæ ipſi præferendam, & Regem noſtrum *Ioannem*, ſuum ad ſolium, poſtliminio receptum, evehendum duximus, in Chriſtianæ Religionis, & Patriæ propugnaculum, in hoſtium perniciem, in Regum exemplar. Ex quo jam liquido conſtat, quam vere fuerit

à Ma-

à Majoribus uſurpatum, *Pericu-loſe à paucis emi, quod multorum eſſet.*

OLISIPPONE.

Cum facultate Superiorum.

Apud *Paulum Craesbeeck.*

ANNO 1641.

Audin' hæc Lubkovvitzi? alia nunc ratio tibi ineunda erit, qua Philippus ſupra ſexaginta annorum fructus refundat, qua immenſa damna, quæ Portugallenſes ipſius cauſa ſuſtinuerunt, reſarciat. Interim percommode accidit ut tu hoc potiſſimũ tempore, quum nemo de jure cum Philippo Rege contendebat, & jam tot annos omnia poſſidebat, hunc tractatum ederes, quo invaliditas juris, manifeſte omnibus, qui nullo partium ſtudio laborant, pateret. Sed de his alii viderint, nobis compendio ſtudendum eſt.

Nobi-

X I.

Nobiles Familiæ PORTUGALLIÆ.

E Damiano à Goes, Portugalliæ Magnates.

Comeſtabilis Regni.
Dux Brigantiæ.
Dux Colimbrienſis.
Dux Viſeenſis,
Dux Trancoſſenſis.
Dux Barcelenſis.
Dux Averienſis, è familia Alencaſtria.
Marchio de Villa Real.
Marchio de Tores novas.
Marchio de monte major.
Marchio de Ferreira.
Comes de Marialua.
Comes de Tentugal.
Comes de Penella.
Comes de Alcontin.
Comes de Portalegre.

Comes de Feira.
Comes de Lonte.
Comes Monſanćto.
Comes de Faro.
Comes de Arganil.
Comes de Abrantes.
Comes de Vimioſo.
Comes de Villa nova.
Comes de Lintiares.
Comes de Vidigeira. è familia Gamæ.
Comes de Sortella. è familia Silveira.
Comes de Caſtanheira.
Comes de Prado.
Comes de Redondo.
Vicecomes de Lyma.
Baro de Alvito.

Magnatum Portugalliæ cenſus è Marinæo Siculo.

DUx Bergancię 40000. duc.
Dux Barcelorum fil. de Bergancię.
Dux Cohimbrę.

Mar-

X I.

Nobiles Familiæ PORTUGALLIÆ.

E Damiano à Goes, Portugalliæ Magnates.

COmeſtabilis Regni.
Dux Brigantiæ.
Dux Colimbrienſis.
Dux Viſeenſis,
Dux Trancoſſenſis.
Dux Barcelenſis.
Dux Averienſis, è familia Alencaſtria.
Marchio de Villa Real.
Marchio de Tores novas.
Marchio de monte major.
Marchio de Ferreira.
Comes de Marialua.
Comes de Tentugal.
Comes de Penella.
Comes de Alcontin.
Comes de Portalegre.

Co-

Comes de Feira.
Comes de Lonte.
Comes Monſančto.
Comes de Faro.
Comes de Arganil.
Comes de Abrantes.
Comes de Vimioſo.
Comes de Villa nova.
Comes de Lintiares.
Comes de Vidigeira. è familia Gamæ.
Comes de Sortella. è familia Silveira.
Comes de Caſtanheira.
Comes de Prado.
Comes de Redondo.
Vicecomes de Lyma.
Baro de Alvito.

Magnatum Portugalliæ cenſus è Marinæo Siculo.

DUx Bergāciæ 40000. duc.
Dux Barcelorum fil. de Bergāciæ.
Dux Cohimbræ.

Mar-

Marchio Turrium novarum.
Marchio Villæ regalis & Comes Alcoutin. 15000. d.
Comes Marialuæ è genere Coutinor. 12000, duc.
Comes Penilenſis è familia Vaſconcelorum cenſus annuus 4000. duc.
Comes Portalegrenus è familia Silveria. 5000. d.
Comes Vimioſanus è familia Soſa, 5000. d.
Comes Monſantinus è Coutina famil. 5000. d.
Comes Pratenſis è Soſa familia. 3000. duc.
Comes Tentugalenſis. 8000. d.
Comes Pratenſis è d'Almeida familia. 3000. d.
Comes Feirenſis domus Pereiræ, 3000. duc.
Comes Linares, 3000. d.
Comes Rondonenſis, famil. Coutin. 5000. duc.

Quibus addendi è Coneſtagio.

Comes de Mira è famil. Norogna.
Comes Caglietranus, Io. Gonzalezius de Camera.
Comes Matoſignoſii è famil. Saa.
Comes Lignareſii è familia Norohnæ.

Familias nobiles Portugalliæ apud Coneſtagium alioſq; invenio.

Alencaſtro. Almeida. Azevedo.
Alcazova.
Barreto. Botello. Britto.
Caſtro. Coutigno.
Gama.
Lopez. Lobos.
Maſcarenias. Mattos. Meneſes. Mello. Mendoza.
Norogna.
Payva. Pereira. Pinto. Portugal.
Saa. Sequeira. Soſa. Sylva.
Tavora. Tello.
Vaz. Vaſconcel. Veloſo.

Nicolaus de Oliveira qui an.1620. Commentarium ſuum edidit:

Magnates Portugalliæ qui titulum habent hos recenſet.

Dux Bragançæ cujus primogenitus eſt

Dux de Barcellos.

Dux d'Aveiro cujus primogenitus eſt

Dux de Turres novas.

Marchio de Villa Real, qui & Comes eſt d'Alcoutim & hodie Dux de Caminha.

Marchio Ferreiræ, qui & Comes Tentugal.

Marchio Caſtel Rodrigo, qui & Comes de Lumeares.

Comes Portalegre qui Major domus regis.

Comes Sabugal, qui Merihnus major.

Comes Monſancti qui Alcade major Olyſiponis. (Indiar.

Comes Vidiguieræ, Almirantus

Co-

Comes Sortelhæ.
Comes Vimioſi.
Comes Caſtanheiræ.
Comes Feiræ.
Comes Atougiæ.
Comes Sanctæ Crucis.
Comes Villæ Francæ.
Comes Villæ novæ.
Comes Liunaris.
Comes de Mira.
Comes Fari.
Comes Redondi.
Comes Caſtelmelhor.
Comes da Calheta.
Comes da Atalaya.
Comes de Tarouca.
Comes do Baſto.
Comes do Matozinhos.
Comes Mirandæ.
Comes S. Joan. de Peſqueira.
Comes de Arcos.
Comitatus autem Marialuæ, Penellæ & Abrantes Coronæ ſunt uniti.
Vicecomes de Ponte de Lima.

Baro d'Alvito.

Et plures alii Domini, qui licet titulo careant, tamen ſupra viginti millia cruciatorum in annuo reditu ſinguli poſſident.

Ab eodem recenſetur & Comes das Idanhias ex familia d'Alcaçova.

De reditibus annuis Magnatum Portugalliæ præter ea quæ ex Marinæo Siculo ſupra annotavimus, (quæ haud dubio longe ſunt infra hodiernam illorum opulentiam deſcripta) pauca admodum potuimus obſervare.

De Duce quidem Braganzæ ſcribit Boterus tantam illius eſſe potentiam & opulentiam, ut monſtro ſimile ſit in tam exiguo regno principem inveniri præter Regem, qui tantas opes poſſideat. Nicolaus autem Oliveira ſcribit ducem hunc è decimis piſcium in urbe Olyſiponenſi annuatim percipere 22500. Cruſados.

D.T.V.Y. in libro de les Eſtats Empires, &c.

Dux Braganzæ habet annuos reditus 100.000. Cruſatorum Portugall.

Dux Averi 50000. duc. Idem & Relatio de Regno Portugalliæ affirmat apud Honorium.

E Vaſconcellio.

QUOS SINGULI REGES creaverint Duces, Comites & Marchiones.

Sancius primus.

COmitem creavit, *Mendum Souſanum* Alfonſi Henricii, ex notha filia Theraſia, aut ut alii malunt, Urraca pronepotem, Gondeçali à Souſa & Urracæ Saciæ filium; à quo fonte illuſtriſſima Souſarum familia dimanat.

Alfonſus tertius.

Notham filiam *Eleonoram* Portugal-

tugallenſem nuptui tradidit Garçiæ à Souſa ſummo Dynaſtę, quem Comitis dignitate amplificavit.

Dionyſius.

Petrum, qui de Nobilitate Portugalliæ librum edidit & *Alfonſum Sancium*, quos extra legitimum thorum genuerat, Comites inſtituit, illum Barcellorum, hunc Albuquerquii. *Martinum Gilium à Souſa* Anteſignani ſeu vexelliferi majoris ornamentis cohoneſtavit.

Petrus.

Comitem Barcellorum dixit *Ioannem Alphonſum* Tellium ſibi acceptiſſimum Equitem, fratrem Martini Alphonſi Tellii, cujus poſtea filiam Eleonoram Rex Ferdinandus duxit uxorem.

Fernandus.

Gondiçalo Tellio Reginæ Eleo-

noræ

noræ fratri dedit Comitatum Neivæ & Fariæ: *Henrico Emmanueli* eorundem germano Ceæ & Cintiiæ.

Ioannem Fernandum Anderium, Ourenii Comitem nominavit.

Vianæ, *Ioannem Alphonſum Tellium* Joannis Alphonſi Barcellenſis Comitis filium, Petri Meneſii primi Septæ Ducis & Vianenſis Comitis ac Domus Villæ Regalis parentem. Arrayolenſem Comitem nuncupavit, *Alvarum Pirium à Caſtro*, & Luſitaniæ Comitem ſtabilem, ſummumque Olyſipponenſis arcis cuſtodem (vulgo *Alcayde mor.*) Hic Brigantinæ domus caput eſt; ab illo enim ſanguinem ſumſit Joanna à Caſtro Fernandi II. Ducis Brigantini uxor.

Mariſcalis dignitas ab eodem Rege attributa fuit *Gondiçhluo Vazao Azebedio*, Franciſci Pireſii

Prioris Cœnobii S. Crucis Conimbricenſis filio.

Ioannes primus.

Principes *Petrus* & *Henricus* à parente nominati ſunt Duces, ille Conimbricæ, hic Viſei.

Nunium Alvares Pereriam Regni Comitem ſtabilem, Comitem Arrayolenſem, Ourenſem & Barcellenſem inſtituit. *Alphonſum* ex pellice filium Rex ipſe, Nonii filiæ matrimonio conjunctum, Nonio id ultro concedente, Barcellorum Comitem creavit, Alphonſumque ex eodem nepotem Comitem Ourenſem & Valentiæ Marchionem; quibus titulis (nam immature diſceſſit) & Arrayolenſi, ſucceſſit frater Ferdinandus.

Petrus Meneſius Comes Villæ regalis inſtitutus.

Eduar-

Eduardus.

Principem *Ferdinandum*, legitimam prolem, Viſei Ducem creavit, ordinum Chriſti & S. Jacobi Magiſtrum ac Regni Comitem ſtabilem.

Patri Ferdinando, ultra Pacis Juliæ Ducatum, ſucceſſit in Viſenſi & Ordinum magiſterio *Ioannes* natu major. Joannis vita functi titulos frater ipſius *Iacobus* obtinuit, unum ſi demas S. Jacobi magiſterium, quod collatum fuit Principi Joanni, qui poſtea Rex fuit, ejus nominis II. Princeps etiam Emmanuel quarto loco editus (nam tertius Eduardus intempeſtivo funere elatus eſt) Pacis Juliæ Ducem egit. Is fuit poſtea Rex fortunatiſſimus Emmanuel.

Extincto Ferdinando Villæ regalis Comite, datus titulus Ferdinando Noroniæ ipſius genero.

Alphonſus quintus.

Petro principe Regnum adminiſtrante vice Alphonſi nepotis ex fratre, adhuc impuberis an. 1422. primus Brigantii Dux vocatus fuit *Alfonſus* Comes Barcellenſis cum Eduardus Brigantii Dynaſta, nullo hærede relicto, obiiſſet.

Eidem poſtea Rex Alphonſus addidit Guimaranium & urbem Portuenſem adjungere deſtinabat niſi cives obſtinate detrectarent.

Alphonſum Brigantini Ducis filium, cum Imperatricem Eleonoram ad Fredericum deducturus eſſet, Comitem Ourenii & Valentiæ Marchionem inſtituit anno 1450. Hic pater fuit Alphonſi Epiſcopi Eborenſis, à quo fluxere proceres Vimioſenſes.

Vivente Alphonſo, primo Brigantii Duce, obiit Alphonſus filius, de quo proxime loquuti ſumus, Nabantii anno 1460. & parenti.

renti ſucceſſit natu minor Ferdinandus, is qui à Joanne I. Oyrenii & Arrayolorum Comes, Valentiæque Marchio fuerat creatus.

Hujus Ferdinandi filius ſenior Ferdinandus Comes Guimaranii & Marchio Villæ Viçoſæ creatus eſt à Rege ex Africa & expugnatione Alcaceris Quibiri redeunte. Cum vero Ferdinandus idem vivo parente, Iſabellam Ferdinandi Principis filiam uxorem duxit, ejuſdem Guimarranii Dux fuit appellatus. Hujus Ferdinandi, tertii jam Ducis Brigantini filium Joannem natu majorem evexit in Comitem ſtabilem & Ducem Montis majoris novi: vulgo *Monte more novo*.

Secundum ejuſdem Ducis filium Alfonſum, Comitem Farenſem inauguravit, à quo domus Odimirenſis exordium cepit.

Fratri ſuo Principi Ferdinando, qui magni Regis Emanuelis pater

fuit, Pacem Juliam, Serpam & Mauram attribuit.

Conſanguineum ſuum Alfonſum Vaſconcellium Alfonſi primi Ducis Brigantini pronepotem, Petri Regis abnepotem Penelæ Comitem creavit Olyſipone an. 1471.

Henrico Meneſio Eduardi Meneſii, Comiti Vianenſi Vianam abſtulit, ſed poſtea Valentiæ & Loulei Comitem inſtituit.

Joannem Coutinium Marialuç Comitem creavit & poſtea quod nullos liberos reliquiſſet, Franciſcum ipſius fratrem.

Alvarum Caſtrium qui ſibi primus erat à cubiculo, Comitem Montis Sancti.

Lupum Albuquercium inter cubicularios etiam maximum Comitem Penæ majoris.

Petrum Meneſium Comitem Catanhedii.

Petrum Alvarum Soto majorem Comitem Caminiæ.

Lu-

Lupum Almeidam Comitem Abrantenſem.

Alvarum Gondizalum Ataidium Comitem Atougiæ.

Ferdinandum Noroniæ Comitem Odemiræ.

Rodericum Vaſæum Pereriam Comitem Feriæ.

Joannem Galvanum Epiſcopum Conimbricenſem, Comitem Argalinenſem, qui titulus immobilis eſt in illis Epiſcopis.

Rodericum Melium maximum Regis cuſtodem, Comitem Oliventiæ.

Leonelem à Limia, Vicecomitem Villæ novæ da Cerveira & ſummum cuſtodem pontis Limię.

Joannem Sylverium Baronem Alvitenſem.

Petrum Vaſæum Melium comitem Atalayæ.

Emmanuelem Principis Ferdinandi filium Ducem Pacis Juliæ creavit.

Geor-

Georgium filium ſuum nothum ex Anna Mendocia Ducem Conimbricę, Dominum Turrium novarum & Averii : S. Jacobi atque Aviſii Magiſtrum, hæredemque omnium quæ fuerant à Petro principe relicta.

Petrum Meneſium, qui apud Septam Ducis officio fungebatur, inſtituit ex Comite Marchionem Villæ Regalis & Comitem Ourenii anno 1489.

Vaſcum Coutinium Comitem Borbæ, cujus poſteri nunc Comites ſunt Redundi.

Emmanuel.

Principem Ludovicum filium, Ducem Pacis Juliæ Dominum Septæ, Mauræ, Covillanii, Almadæ & Cratenſis Prioratus adminiſtratorem creavit.

Alfonſum fratris ſui Jacobi Ducis nothum Ducem Viſei & Regni Comitem ſtabilem.

Jacobo (vulgo dom Jaimes) Ducis Ferdinandi cæſi filio ab exilio reſtituto publicata paterna jura reſtituit, & Brigantini Ducis titulum.

Titulos omnes Principi Georgio, Duci Conimbricenſi à Patre Joanne II. conceſſos confirmavit.

Ejuſdem Georgii hæredem Joannem Lancaſtrium inſtituit Marchionem Turrium novarum.

Filios natu maximos Marchionum Villæregalenſium Comites Alcoutini.

Sancio Noroniæ avitam Odemirenſis Comitis dignitatem reddidit.

Petrum à Souſa Joannis Meneſii ſucceſſorē creavit Comitem Prati.

Jacobum Sylvium Pædagogum ſuum Comitem Ameæ.

Joannem Meneſium maximum œconomum, Comitem Taroneæ.

Vaſcum Gamam Comitem Vidigueriæ & maris Indici Almirantū.

Mar-

Martinum Albicaſtrum Comitem Villæ novæ Portimanenſis.

Rodericum Melium, Comitem primo Tentugalis, deinde Marchionem Ferreriæ.

Alfonſum Portugallenſem Comitem Vimioſi creavit.

Antonium Noroniam, Comitem Linarienſem.

Didacum Pereriam Comitem Feriæ.

JOANNES III.

Eduardum Eduardi Principis filium Ducem Guimaranii creavit.

Theodoſium Brigantini Ducis filium, Ducem Barcellenſem.

Joannem Lencaſtrium Georgii Principis & Ducis Conimbricenſis filium, qui jam erat Marchio novarum Turrium, Ducem Averii.

Ludovicum Sylveriam Comitem Sottelhiæ.

Antonium Attaidium Comitem Caſtaraniæ,

b'ſ

SEBASTIANVS.

Simonem Gondizalum à Camara, Calhetæ Comitem creavit.

Ludovico Attaidio Atougiæ Comitatum redonavit.

Didaco Sylveriæ Comitatum Sortelìæ.

HENRICVS.

Duo Comites, quos inſtituere decreverat, exitum non ſunt aſſecuti.

PHILIPPVS I.

Franciſcum de Sa creavit Comitem Matoſinii & Penagivonis.

Ferdinandum Caſtrium Comitem Baſti.

Franciſcum Maſcareniam, Comitem Villæ Hortenſis, qui nunc dicitur S. Crucis.

Eduardum Albicaſtrium Comitem Sabugalis.

Petrum de Alcaçova, Comitem Igætaniæ.

Chriſtophorum à Maura Comitem Caſtelli Roderici.

Franciſcum Emmanuelem, Comitem Atalayę.

Rodericum Gondizalum à Camara Comitem Villæ Francæ.

Marchioni Villæ regalis titulum Ducis ejuſdem oppidi adjecit.

In Joanne Gondizalo Ataidio Atougiæ Comitatum ſuſcitavit.

In Emmanuele Albicaſtrio, Villæ novæ.

In Ferdinado Noronia, Linarii.

In Joanne Pereria, Feriæ.

In Ludovico Meneſio, Tarouce.

In Antonio Caſtrio, Montis Sancti.

Hæredem Ducis Averii iam Marchionem Turrium novarum, Ducem earundem nuncupavit.

PHILIPPVS. II.

Chriſtophorum à Maura, Caſtelli

ſtelli Roderici antea Comitem, creavit Marchionem.
Emmanuelem Cortereal ipſius Chriſtophori filium, Comitem Lumiarenſem.
Ludovicum Henriques Comitem Villæ floris.
Rodericum Mendeſium Vaſconcellium Comitem Caſtelli melioris; vulgo *Caſtel Melhor*.
Henricum à Souſa, Comitem Mirandæ.
Ludovicum Alvarum à Tavora, Comitem S. Joannis à Piſcaria.
Franciſcum à Faro, Comitem Vimieiri.
Stephanum à Faro, Comitem S. Ludovici.
Didacum Sylvium, Marchionem Jerabricæ.
Joannem Borgium, Comitem Ficalii.
In Ludovico Sylveria Sorteliæ Comitatum ſuſcitavit. (mioſi.
In Ludovico Portugallenſi, Vi-

In Simone Gondizalo à Camara, Calhetæ.

In Franciſco de Sa, Penaguionis.

In Petro Meneſio, Cantanhedii.

Anno cIɔIɔcxxi. quum Vaſconcellius librum ſuum ederet, horum oppidorum tituli extabant.

Duces.

De Braganza.
De Aveiro.
De Barcellos.
De Torres novas.
De Caminha.

Marchiones.

De Villa Real.
De Ferreira.
De Caſtel Rodrigo.
De Alemquer.

Comites.

De Monſanto.

De Cantanhede.
D' Atougia.
D' Odemira.
Da Feira.
D' Arganil.
De Portalegre.
De Tarouca.
Da Vidigueira.
De Villa nova de Portima.
Do Vimioſo.
De Linhares.
Do Redondo.
De Sortelha.
Da Caſtanheira.
De Penaguiao.
Do Baſto.
De Santa Cruz.
Do Sabugal.
Da Idanha.
D' Atalaya.
De Villa Franca.
De Ficalho.
De Lumiares.
De Villa Frol.
De Caſtel Melhor.

De Mirandado Çervo.
De S. Joan Do Peſqueira.
Do Vimieiro.
De Sam Luis.

Vicecomes.

De ponte de Lima.

Baro.

D' Alvito.

XII.
Reditus annui Regni PORTUGALLIÆ.

Ex Ioann. Hugonis Linſcotan.

ORdinarii reditus Regni Portugalliæ annuatim aſcendunt ad 1. 100. 000. duc. Reditus aute mMagiſtratuum ordinum militarium, quorum Rex ipſe hodie magiſter eſt, quique poſſident Inſulas Azores, Maderam, Inſulas Capi-

Capitis Viridis, S. Thomæ, del Principe, reddunt quotannis 200. 000. duc.

Reditus Caſtelli de Mina in Guinea, qui ad ordinis Chriſti magiſterium pertinent, 100. 000. d.

Reditus Braſiliæ 150000. duc.

Vectigalia aromatum aliarumque mercium, quę ex India Orientali quotannis in Portugal. invehuntur. 600000. ducat. ſive 18. tonnas auri ut Belgæ vocant: nam quæ in ipſa India è vectigalibus aut tributis quocunque modo percipiuntur, ibidem rurſus impenduntur, ita ut Rex nullum emolumentum illius capiat.

In ſumma reditus annui Regni Portugalliæ ſunt 2. 200.000. d. aut 66. tonnæ auri, ut noſtrates vocant.

Expenſarum ejuſdem Regni hic eſt calculus & modus.

1 In Stipendia miniſtrorum Juſtitiæ, alioſque officiales, in ipſo

regno, impenduntur quotannis 100. 000. ducat.

2 In Tencas, (ita vocant dona & immunitates, quas Rex tanquam feuda benemeritis ad vitam concedit) quotannis expenduntur 300000. duc.

3 In Juras, (ita vocant reditus annuos quos vendit & in perpetuum hæreditario jure poſſidendos certis perſonis concedit, qui ſicuti alia patrimonialia bona ad hæredes tranſeunt) annuatim expenduntur 150. mill. ducat.

4 In arces & munimenta Africæ annuatim expenduntur 300 mill. duc.

5 In quinque triremes, quæ Regis ſumtu armantur, quotannis expenduntur 50. mill. ducat.

6 In claſſem quæ Indicas naves ducit atque reducit 300. mill. duc. expenduntur.

7 In Moradias, (ita vocant mercedes & ſtipendia annua quæ

Rex

Rex concedit, partim miniſtris ſuis, quos vocant Mocos da Camara, Cavalleiros Fidalgos & ſimiles, partim aliis bene meritis, aut quorum parentes Regi aliquid officii præſtiterunt; ſunt autem perexigua hæc ſtipendia & tantum conceſſa ut equos ſuos alant, licet nullos interdum poſſideant aut alant; eademque & parce & maligne ſolvuntur:) annuatim impenduntur 80. millia ducatorum.

8 In Alimenta Regiæ familiæ atque Proregis quotannis fere expenduntur 300. mill. ducat.

9 Denique in arces atque alia munita loca Regni ipſius quotannis expenduntur 200. mill. ducatorum.

In ſumma; expenſa omnis quotannis aſcendit ad 1680000. duc.

Hactenus è Io. Hugonis Linſcotano.

Author autem Relationis de

Regno Portugalliæ apud Honorium ſcribit reditus annuos hujus regni eſſe 3660000. duc. eoſque penitus omnes quotannis in miniſtros regios, tam Eccleſiaſticos quam ſeculares, in milites, in claſſes aliaque rurſus expendi, neque interdum ſufficere.

Quia autem *Nicolaus Oliveira* anno 1620. librum edidit, in quo diligentiſſime & minutatim explicat reditus omnes annuos Regni Portugalliæ atque expenſas univerſas, operæ pretium erit ea ordine ex ipſo deſcribere.

Primo itaque reditus Regni & Dominiorum, quæ Reges Portugalliæ in exteris Provinciis bello acquiſiverunt, qui in Teloniis publicis, *Alfandegos* ipſi vocant, paſſim colliguntur; quippe omnes merces & res quæcunque venales ſolvunt aliæ decimam, aliæ quintam, aliæ aliam partem, excepto tritico quod foris importatur; id enim

enim liberum eſt ab omni vectigali) in hunc modum ſe habent.

1 Alfandegæ totius Regni atque urbis Olyſiponenſis reddunt quotannis 170. quentos reeſiorum, id eſt 425000. Cruſatos.

2 Vectigal lignorum omnium quotannis locatur 10.700.000. rees, id eſt 26750. Cruſat.

3 *A Caza dos Cincos*, id eſt Portorium quo quinque ſolvuntur de unoquoque centenario, annuatim conducitur 7.200.000. rees, id eſt 18000. duc.

4 Septem caſæ vectigalium vini, olei, carnium, piſcium, fructuum, Nigritarum, & ſimilium rerum in Civitate Olyſiponenſi reddunt quotannis nonaginta quentos rees, id eſt 225000. cruſat.

5 Vectigal vini, quod vocant o Real d'Agoa reddit quotannis novem quentos rees, id eſt 22500. cruſat.

6 Vectigal carnium in macello

cello reddit ſeptem quentos, id eſt 17500.

7 Portus Sicci, ut vocant, reddunt triginta ſex quentos, id eſt 90000. duc.

8 *O Conſulado* (id eſt portorium quo tria ſolvuntur pro unoquoque centenario mercium quæ in Portugall. importantur, aut rurſus ex illa evehuntur, reddit per totum regnum octuaginta quentos, id eſt 200000. cr.

9 Vectigal chartarum luſoriarum annuatim locatur 5. 400. 000. re. id eſt 13500. cruſat.

10 Cancellaria Curiæ reddit ſeptem quentos, id eſt 17500. cr.

11 Cancellaria Portuenſis 700000. rees, id eſt 1750. cruſat.

12 Vectigal ligni Braſiliani reddit XXIV quentos rees, id eſt 60000. cruſat.

13 Vectigal mercium Indicarum reddit quotannis 120. quentos, id eſt 300000. cruſat.

14 Pi-

14 Piper, diducto primum precio quo emtum fuit in India & naulo, quatuor cruſatorum pro unoquoque quintali, reddit 230 quent. id eſt 575000. cruſat.

15 Alfandegæ quæ in Africa ſunt, reddunt quotannis 1. 200. 000. rees, id eſt 3000. cruſat.

16 Impoſitio in vina Sanctareni reddit quotannis 780000. r. id eſt 1950. cruſat.

17 *O Eſtanco do Buzio*, (id eſt Apotheca publica qua certæ merces Indicæ conduntur, reddit 1. 200. 000. rees, id eſt 3000. cr.

18 Setubalis tabula reddit 16. quentos, id eſt 40000. cruſat.

19 Omnes Civitates & oppida hujus regni habent certos reditus in fundis, & è mulctis delinquentium & ſimilibus; Rex autem percipit tertiam omnium partem; quæ reddit annuatim 21. quentos, id eſt 52500. cruſat.

20 *Os foros das proprieda-*

des,

des, &c. id eſt, Annua onera quorundam fundorum, quæ Regiæ Coronæ ſunt obnoxia, eique annuum tributum pendunt, reddunt quotannis 778000. rees, id eſt 1945. cruſat.

Hoc primum vectigalium ſive redit. genus efficit quotannis 837. 958. 000. rees, id eſt 2. 092. 895. cruſat.

Alterum redituum genus provenit ex Almoxarifis, (id eſt exactionibus) quibus colligendis plura loca ſunt deſtinata; reddunt autem annuatim in hunc modum.

1 Almoxarifatus (id eſt, quæſtura) Pontis de Lima; ſub quo comprehenduntur tria oppida & aliquot vici, reddit quotannis ſex quentos & triginta tria mill. octingenta & ſexaginta ſeptem rees, id eſt 15084. cruſat. 267. rees.

2 Almoxarifatus Vianæ in cujus diſtrictu ſunt ſex oppida & aliquot vici: 7.594. 014. rees.

3 Al-

3 Almoxarifatus Guimaranes in cujus diſtrictu ſunt x. oppida & inprimis Braga,& aliquot pagi. 8. 679. 454. 1.

4 Almoxarifatus Averi in cujus diſtrictu ſunt xxix opida: 7. 777. 816. rees.

5 Almoxarifatus Porto in cujus diſtrictu ſunt tres 11. 000. 483. rees.

6 Almoxarifatus Civitatis Viſeo in cujus diſtrictu ſunt undecim oppid. &c. 4. 464. 880. rees.

7 Almoxarifatus civitatis Lamego, in cujus diſtrictu ſunt xiv. oppida & plures vici, reddit quotannis 5. 261. 070. rees.

8 Almoxarifatus Caſtellobranco in cujus diſtrictu eſt antiqua civitas Idahna cum xviii. oppid. 7. 593. 039. rees.

9 Almoxarifatus oppidi Mencorvo in cujus diſtrictu ſunt novem oppida, 6. 340. 336. rees.

10 Almoxarifatus oppidi Pinhel

hel in cujus diſtrictu ſunt xxx. oppid. 6.942.872.

11 Almoxarifatus Mirandæ in cujus diſtrictu eſt civitas Braganca & ſex oppida. 7.190.194. rees.

12 Almoxarifatus Villæ Real in cujus diſtrictu ſunt tria oppida. 5.780.747.

13 Almoxarifatus civitatis Guardę in cujus diſtrictu ſunt xxiv oppida. 6.798.720.

14 Almoxarifatus Portalegræ civitatis, in cujus diſtrictu ſunt xx. oppida 8.480.312. rees.

15 Almoxarifatus Conimbricæ, in cujus diſtrictu ſunt xix. oppida 7.573.475. rees.

16 Almoxarifatus civitatis Leyriæ in cujus diſtrictu ſunt xxiii oppida 4.831.625.

17 Almoxarifatus Tomar, in cujus diſtrictu ſunt xlviii. oppida 6.726.594. rees.

18 Almoxarifatus Abrantos: 4.147.451. rees.

19 Almoxarifatus oppidi Sanctarem in cujus diſtrictu ſunt XV. oppida 8. 098. 612.

20 Almoxarifatus Alenquer, in cujus diſtrictu ſunt XVII. oppida 6. 252. 692. rees.

21 Almoxarifatus Cintræ 3, 443. 587. rees.

22 Almoxarifatus territorii Olyſiponenſis, 1. 300. 356. rees,

23 Almoxarifatus civitatis Eboræ in cujus diſtrictu ſunt XVIII. oppida, 10. 222. 741. rees.

24 Almoxarifatus Eſtremos in cujus diſtrictu ſunt XV. oppida 6. 330. 393. rees.

25 Almoxarifatus Eluas in cujus diſtrictu ſunt XII. oppida 5. 468. 845. rees.

26 Almoxarifatus Beræ in cujus diſtrictu ſunt XXVIII. oppida 9. 428. 832. rees.

27 Almoxarifatus Ouriques 5. 872. 976.

28 Almoxarifatus Algarbiæ,

in quo ſunt quatuor civitates & novem oppida 9.124.390. rees.

29 Eſteyrinha Faram (id eſt, ſi bene capio, Lacus aut Palus Faram) reddit quotannis 61.768. r.

30 Almadravæ (id eſt piſcatura Thynnorum) reddunt quotannis 14. quentos rees.

31 Almoxarifatus Setuval, in cujus diſtrictu ſunt XVII oppida 4. 965.000. rees.

32 Habet præterea Rex in hiſce Almoxarifatibus XIIJ. modios & II. Alqueiros tritici, pro quibus ipſi ſolvuntur 150.788. r.

33 Habet & domus Trancozi, quæ reddunt. 5000. rees.

34 Habet & in dictis Almoxarifatibus, tritici modios bis mille ducent. hordei mille & quinquaginta, quos percipit è campeſtribus & paluſtribus quibuſdam locis, in quibus derivata aqua ſementem faciunt incolæ: qui annuatim reddunt 27.750.000. r.

35 Præ-

35 Præterea in ſingulis Almoxarifatibus quotannis regi cera penditur, quæ conjuncta efficit 777. Arrobas, & in argento reddit 2.722.500. rees.
Summa totalis horum redituum ex Almoxarifatibus eſt 238.555.721. rees. ſive 596.389. cruſat.
Tertium redituum genus percipit Rex nomine Magiſteriorum ordinum militarium, tam in Regno quã provinciis bello acquiſitis.
1 Oppida Tomar & Soure, de magiſterio ordinis Chriſti; Setuval & Alcacer de magiſterio ordinis S. Jacobi, Beneventum de Magiſterio Aviſi in ipſo regno reddunt quotannis 10.085.70. rees.
2 Duæ commendæ ad ripam Tagi Aldeagalega & Alhos vedros 1. quent. rees.
3 Vinum Almadæ & territorii adjacentis 700000. rees.
4 Fodinæ ſtanni prope Viſeum 400000. rees.

5 Teloneum Inſulæ Maderæ tam in argento quam mille arrobis Sacchari; 26. 621. 000. rees.

6 Inſulæ Azores, demtis tribus quentis quæ miniſtris regiis impenduntur, redduntRegi quotannis 27. quent.rees.id eſt 67500 cruſat.

7 Inſula Capo Verde cum adjacentibus inſulis & terris 14.quentos, id eſt 35000. cruſ.

8 Caſtellum Mina in Guinea 40. quent. id eſt 100000. cruſat.

9 Inſula S. Thomæ locata eſt 14. quentis, id eſt 35000. cruſat.

10 Congo, Arda, Angola 26. quentos, id eſt 65000. cruſat.

11 India Orientalis, in illis partibus, quotannis reddit Regi 1.375.000.pardaos, ſive 412.500.000. rees: ſive 1. 031. 250. cruſat. Horum civitas Goa cum diſtrictu ſolvit annuatim 400000. pardaos.

12 Teloneum Ormus 252000 pard.

pard. id eſt 75. [illegible]00. 000. re. ſive 189000. cruzat.

13 Teloneum Dii 235000. pardaos, ſive 70. 500. 000. rees.

14 Reditus Bacaim ſunt annuatim 125. 000. pardaos, ſive 37. 500. 000. rees.

15 Daman reddit 62000. pard. ſive 18. 600. 000. rees.

16 Chaul 32000. pardaos, ſive 9. 600. 000. rees.

17 Cochim 2000. pardaos, ſive 6. 000. 000. rees.

18 Sofalla 4000. pardaos, ſive 12. 000. 000. rees.

19 Monbaſſa 10000. pard. ſive 3. 000. 000. rees.

20 Malacca 104000. pard. ſive 31. 200. 000. rees.

21 Maluco 50000. pardaos, ſive 15. 000. 000. rees.

22 Manre 37000. pard.

23 Ceylon 3000. pardaos è tertia parte Canellæ.

24 Mangalor 3000. pard.
25 Bercelor 1000. pard.
26 Braſil reddit annuat. 54. 400. 000. rees: id eſt 136000. cruſat.

Solvitur præterea in licitatione omnium vectigalium & tributorum pro unoquoque centenario unus rees; faciuntque ſumma XI. quentos rees, quæ Rex in pios uſus diſtribuit.

Summa totalis horum redituum eſt 637. 705. 570. rees.

Quibus ſi adjungantur 30. quenti, quos reddunt quotannis Salinæ regni, de quibus nihil dum diximus; & trium horum capitulorum ſummæ in unam cogantûr; efficitur ſumma totalis redituum omnium Regni 1. 744. 219. 291. rees: ſive 4. 360. 548. cruſator. & 91. rees.

Recipit itaque quotannis Rex Hiſpaniæ ſecundum calculos præcedentes,

Ex

Ex Hiſpania & aliis Dominiis 13. 048. 000. duc.

Ex Portugallia, &c. 4. 364. 584. cruſ.

17. 408. 548.

Quæ tribus florenis computatis in ducatos ſingulos efficiunt 52. 225. 644. flor.

His autem minime comprehenduntur quæ Rex extra ordinem è prælatorum & Cleri ſui reditibus, ex Papæ indulgentia percipit; quæ quoque ingentem ſummam conficere poſſunt.

Idem expenſas Regni Portugalliæ ad quatuor capita revocat, quorum primo continentur expenſæ quas Rex facit in Capella ſua regali, in ſtipendiis miniſtrorum Juſtitiæ, in tencis & juris, id eſt ſtipendiis & præmiis quæ Rex è publicis vectigalibus & portoriis elargitur nobilibus & aliis benemeritis, aliiſque perſonis, quæ Regi inſerviunt tam in Regno quam

in provinciis exteris, & claſſibus; quorum quidem portiones ſingulas minutatim proſequitur & in unam ſummam demum colligens ad centum ſeptuaginta quatuor quentos & octingenta & quadraginta ſeptem millia ſexcentos & octuaginta quatuor rees dicit aſcendere.

Primum igitur expenſarum caput efficit 174. 847. 684. rees, id eſt 437. 119. cruſat. & 84. rees.

Ad ſecundum caput refert expenſas, quas Rex facit in juros, tencas & ordinados & in Almoxarifatibus Regni & aliis reditibus regiis; eaſque ſingulatim perſequitur & denique in unam ſummam colligit centum triginta quatuor quentos, quingenta octuaginta & unum millia & quingentos rees.

Secundum itaque expenſarum caput facit 134. 581. 500. rees, id eſt 33. 6. 453. cruſ. & 300. rees.

Ad tertium caput revocat expenſas,

penſas, quę à Rege annuatim fiunt in miniſtros publicorum vectigalium, & in ipſa loca publica, in claſſes regias & ſimilia; quas expenſas minutatim perſequitur, & in unam ſummam illas colligens dicit aſcendere ad quingentos & unum ſupra viginti quentos trecenta & novendecim millia & quinquaginta quinque rees.

Tertium ergo expenſarum capitulum facit 521. 319. 055. rees, id eſt 1. 304. 297. cruſ. & 255. rees.

Ad quartum caput revocat ſumtus quos Rex facit in Africa, inſulis, India Orientis, Braſilia & in ſumma in omnibus provinciis extra Regnum bello acquiſitis; quia autem longe major redituum Regni portio ex hiſce terris hauritur, operæpretium erit expenſarum rationem ſingulatim perſequi.

1 In tres arces atque oppida quæ Rex in Africa poſſidet, Septam, Tanger & Marzagaon (nam

in arce Argim, quia hodie ad Comitem Atougiæ pertinet, Rex nullos ſuſtinet ſumtus) Rex annuatim impendit: Septæ quidem viginti quatuor quentos; totidem Marzagaoni; & Tangeri quadraginta octo. in totum nonaginta tres quent. r. id eſt 232. 500. cruſ.

2 In Inſula Madera Rex quotannis expendit in ſtipendia Epiſcopi, Judicum, Gubernatoris & aliorum miniſtrorum, novem quentos & trecenta millia rees, id eſt 23250. cruſat.

Reditus ut ſupra	66552 & dim.
Expenſæ	23250
Reſtant Regi	43302. & dim. c.

3 In Inſulis Azorum Rex quotannis in eundem modũ expendit xv quentos ſexcenta & triginta mill. rees, id eſt 39075. cruſ.

Reditus ut ſupra	67500
Expenſæ	39075
Reſtant Regi	28425. cruſ.

4 In

4 In Inſulis Capitis Viridis, ut vocant, expenduntur ſeptem quenti rees, id eſt 17500. cr.

Reditus ut ſupra	35000
Expenſæ	17500
Reſtant Regi	17500.

5 In Inſula S. Thomæ quotannis expenduntur quinq; quenti & quadringenta millia rees.

Reditus ut ſupra	35000
Expenſæ	13500
Reſtant Regi	21500. cr.

6 In Angola & vicinis regionibus expenduntur ſeptemdecim quenti, ſexaginta millia ſexcenti ſexaginta ſex rees.

Reditus ut ſupra 65000.
Expenſæ 42651. cr.266.r.

Reſtant Regi 22348. rees 134.

7 In India Orientali reditus omnis rurſus impenditur. nimirum 412. 500. 000. rees.ſive 1. 031. 250. cruſat.

8 In

8 In Braſilia omnes itidem reditus conſumuntur in hunc modum

In Capitania de todos los Santos 18. 541. 840. rees.	
In Capitan. do Ilheos	159. 053.
In Capitan. Porto Seguro	121.320.
In Cap. R. de Ianeyro	1.806. 520.
In Cap. Spirit. Santo	6. 094.040.
In Capitan. S. Vincent.	360. 480.
In Vicariatu Seregippo	624.080.
In Cap. Fernambuco	8.956.400.
In Capitan. Paraiba	2. 069. 381.
In Capitan. Tamaracæ	611. 840.
In Capitan. Rio grande	3.518.581.
In Capitan. Seara	741. 000.
In Maranhon	9.706. 920.
In Caſtro Para	6. 000. 634.
	59. 310. 089.

Nicolaus Oliveira licet diſertè has ſummas particulatim prodat, tamen ſummam colligens dicit in Braſilia expendi quotannis 54.388 295. rees, ſive 235. 970. cruſat: ubi itidem

itidem fallitur; nam tantum ſunt 135. 970. cruſ. & 295. rees.

Univerſas autem expenſas in unum colligens dicit annuatim à Rege expendi 1. 455. 077. 299. rees: 3.636.663. cruſ. quæ ſumma licet paulo juſtior ſit, tamen cùm particularium ſummarum ſubductione non plane convenit, ſed nonnihil excedit.

Reditus univerſi	4. 360. 548. cr.
Expenſæ	5. 636. 663
Reſtant Regi	632. 885. cruſ.

Hactenus è Nic. Oliveira.

Porro Regis Portugalliæ reditus & expenſas in India Orientali accurate & minutatim perſequitur Eduardus Meneſius Prorex, è quo hic quædam compendio delibabimus.

Goa reddit quotannis Rees 70. 530. 853.

Ormus 51. 000. 000.

Dium, Bazar, Gogol. 36.000.000.

Da-

Damaon arx	15. 455. 880.
Bazaim arx	41. 520. 240.
Manora & Aceri	1. 403. 349.
Chaul arx	9. 188. 760.
Onor Caſtrum	4. 620. 000.
Barcelor	120. 000.
Mangalor teloneum	218. 880.
Cochin vectigalia	15. 000. 000.
Manar caſtrum	4. 003. 800.
Seylan	900. 000.
Malacca	21. 600. 000.
Maluco	300. 000.
	271. 861. 762.

Verum ab hac ſumma deducenda ſunt R. 24. 000. 000. ratione arcium & Caſtellorum, quę cum inter infideles ſita ſint, qui facili negotio armis inter ſe & cum Portugallis contendunt, non raro aditus ad loca illa impeditur & vectigalia minuuntur: atque ita vera ſumma omnium redituum erit 247. 861. 762.

Præter hanc ſummam, etiam aliud

aliud tributum colligitur, in arcibus & Caſtellis, quę verſus Septemtrionem vergunt ab urbe Goa, atque adeo in ipſa urbe, nimirum è precio omnium mercium quæ invehuntur aut evehuntur unum pro quoque centenario; & conficit ſummam Rees 24. 078.000. quæ ſumma tota impenditur eiſdem arcibus inſtaurandis.

Expenſarum autem ratio, quam idem minutatim perſequitur, aſcendit ad Rees 214.718.878.

De potentia Regni Portugalliæ ex Auctore libelli de Libertate Portugalliæ, editi ANNO 1597.

IN Portugallia ſunt tres Archiepiſcopatus & decem Epiſcopatus; qui in univerſum hodie ſuis Pręlatis annuatim reddunt circiter quadringenta millia ducatorum.

Dux Brigantinus ſolus, in una civitate, oppidis Caſtellis & pagis, quo-

quorum eſt Dominus, numerat ducenta millia Vaſſallorum.

Portugallia mittit in Indiam Orientalem, Barbariam, Inſulas capitis viridis & continentem, Inſulam S. Thomæ, Congo, Angolam, Braſiliam aliaſque partes, quotannis circiter ſex milliá virorum, quorum vix tertia pars redit in Regnum. Hodie ſi Rex Philippus auderet Portugallis fidere, poſſet è Portugallia ſibi deligere bello idoneorum virorum ſupra centum millia, ætatis intra viginti quinque & quadraginta annos, quibus nihil impedimenti eſt quòminus poſſint, neque prætextus quo minus velint ejus mandatis obedire.

Univerſo Orbi notum eſt tempore Regis Sebaſtiani in Rego fuiſſe numeratos mille ducentas cohortes peditum, delectu tantum facto ex Agricolis & Mechanicis, neque tamen omnibus. Neque

que enim aut Domini, aut nobiles, aut miniſtri Juſtitiæ, aut Magiſtratus civitatum & oppidorum, aut litterati, multo minus Eccleſiaſtici cujuſque ordinis aut dignitatis, omneſque omnino privilegiati ad hoc tenebantur. Erant autem pleræque cohortes ducentorum capitum, quædam & trecentorum & quadringentorum: ſed puta omnes tantum ducentorum fuiſſe, efficient numerum ducentorum & quadraginta millium. Non facio hic mentionem equitum, quorum etiam ingens in Regno numerus, quia eorum ratio commode iniri non poteſt.

Præterea Portugalliæ Reges magnificum quid habent præ omnibus Regibus & principibus Europæ. Scilicet, quod quadrantis horæ ſpacio Vaſallis ſuis & miniſtris donare poſſunt valorem decem, quindecim, imo & viginti myriadum in papyro; conſiſtit

quippe beneficium hoc in largitione Gubernationum,& Capitaniarum, quæſtorum , aliorumque munium pene infinitorum; itemque in conceſſione & licentiis navigandi ad has aut illas regiones extra Regnum, puta in Indiam Orientis,Bandam,Maluccos,Chinam, &c. quarum litterarum beneficio ſtatim argentum ab aliis obtineri poteſt, ſine detrimento Regis. Hæc ille.

Sane populoſiſſimum eſſe hoc regnum præ cæteris Hiſpaniæ Regnis, nemo poterit dubitare qui animum adverterit ad immenſum numerum familiarum quæ paſſim in Colonias ſunt deductæ, ad inſulas, ſecus totam Africæ oram ad extremos uſque Aſiæ fines,ad Braſiliam qua latiſſime patet: & præterea cogitet illos non minimam quoque partem colonorum facere in America:nam gens commerciorũ avida & ſcientiſſima, etiam con-

contra mandatum & voluntatem Caſtellanorum in intima & optima illius continentis & Inſularum penetravit: ut nemini obſcurum eſſe poteſt, qui vel levem harum regionum cognitionem ſunt adepti. Atque his tamen non obſtantibus ipſum Regnum ita plenum eſt incolarum, ut neque agrorum cultura uſquam vacet, aut de militum, navaliumque ſociorum penuria conqueri poſſint: ita ut non modo ſuis & Caſtellanorum partibus agendis abunde hactenus ſuffecerint.

Vidimus ſupra Regnum utrumque, haud quidem ita amplum territorium obtinere, quale alia Europæ regna, fertilitate tamen præcipuũ, molem bonitate compenſare. Verum ſupra omnia æſtimanda veniunt opportuniſſimus ſitus ad mare, & nobiliſſimorum portuum copia, quales vix ſinguli aliis Regnis ut plurimum obtinent.

gunt. Quo fit ut & populus navium fabricandarum induſtria & navigandi peritia excellat. Cujus rei navigationes in longe diſſitas regiones, & ſummus periculorum contemtus faciunt fidem; neque negandum eſt Portugallos reliquis Europæis facem in ultimum Orientem primos prætuliſſe.

Et quoniam in hanc materiam incidimus, non erit abs re etiam meminiſſe navium grandiſſimarũ, quas aut primi fecerunt ipſi, aut plurimum emendarunt: celebratiſſimæ ſunt Caracæ toto Orbe, & robore adverſus Oceani impetus validæ, & amplitudine maximorum onerum (quod in tam longe diſſitis navigationibus imprimis utile eſt) capaces: de cæteris nihil addo, in quibus forte bonitate, licet non copia, ab aliis ſuperantur. Notiſſimum interea vulgo eſt quod & alibi jam dictum, Hiſpanum poſtquam Portugalliæ potis

eſt

eſt factus, Claſſes ſuas vel maxime ex Portugallorum navibus inſtruxiſſe: neque longius retroſpiciendum, etiam nuper Portugallicæ Galleones præcipuum robur fuere illius Claſſis, quam noſtri tam feliciter ſub Angliæ littoribus debellarunt & pene totam deleverunt. Atque hæc uti magnam potentiam Regno ipſi induunt, ita & ſingularem dant opportunitatem & hoſtes oppugnandi & amicos fæderatoſq; adjuvandi. Quare eorum qui mari potentes ſunt & navigandi induſtria valent, ſocietas & amicitia haud dubio præferenda eſt.

Non puto autem quenquam multum laboraturum, qui modo paulo diligentius attenderit, in æſtimando damno quod Rex Hiſpaniarum fecit, Portugalliæ regno, tam importuno tempore, deſciſcente, & ſe ad nativum & legitimum Regem poſtliminio appli-

cante. Nam & amplitudine terrarum ſi externa ſpectes, Caſtellæ Portugalliæque Regna, haud male comparari & inter ſe componi, atque adeo paria judicari poſſint: nec minus opum, omniumque felicitatum abundantia: ærarii copia; & ubi partes ſuas à Caſtellanis plane ſejunctas habuerit tranquillitate, & pace cum cæteris omnibus, expenſarum exiguitate facillime ſuperabit.

Præterquam autem quod Caſtellæ Regi tantum virium deceſſerit hac Portugalliæ Regni defectione, aliud quoque & quidem longe maximum incommodum accedit, ſi Coloniæ Portugallicæ quæ Africæ oram obtinent, fidem ſui Regis ſequantur, quod facturos minime dubium videtur. Nulli enim dubium eſſe poteſt, qui Americæ conditionem vel à limine cognoverit, maximum numerum ſervitiorum Nigritarum quotannis

deſi-

deſiderari, & neque fodinas neque agrorum culturam, aliaque quibus vita humana opus habet, commode adminiſtrari ſine illis poſſe; eaque ita conſumi ut ſine quotidiano prope ſupplemento ſuſtentari neceſſariæ operæ non poſſint. Et vectigalia quæ Rex ex illis percipit hactenus, vel potiſſimũ ærarii ipſius ſubſidium jam diu fuiſſe. Indubitatis enim rationibus conſtat ſupra viginti ſervitiorum millia ab Angola ſolum, in varias regiones, potiſſimum autem in Americam traduci; quid futurum cenſemus, ubi hic fons ipſis obſtructus fuerit alioque derivabitur?

Plura de his, aliiſque innumeris adferri poſſent ſi compendii ratio pateretur, de quibus alias dicendi dabitur occaſio, interea experientia faciat fidem, optima quippe rerum magiſtra.

Ex Ioannis Boteri Iudicio de potentia Regis Hiſpaniarum.

DIcamus porro de ditionibus, quę ad Regem Catholic. ſpectant ratione Coronę Portugallicę. Id regnũ cccxx in longitudine, LX mill. in latitudine patens, licet neque amplo agro, neque magnis divitiis per ſe cluat: tamen ſitu gaudet commodo ad navigationes & opportuniſſimo ad longinquas regiones ſubjugandas: & incolitur à gente tanti animi, ut expeditiones ſuſceperit in Barbariam, Æthiopiam, Indiam, Braſiliam, & jam xc annis præcipuis oppidis & portubus harum regionum potiatur; & mari tam Atlantico quam Eoo dominetur. Sed antequam pergamus, pauca nobis dicenda ſunt de Inſulis Terceris, quę itidem ad hanc Coronam ſpectant; Hæ ſane ratione ſitus ſui, tanti ſunt momenti tamque neceſſa-

ceſſariæ, ut abſque illis navigatio in Æthiopiam, Indiam, Braſiliam non tam feliciter inſtitui poſſit. Quia claſſes quæ ab illis regionibus redeunt Hiſpalim aut Oliſiponem, vix vitare poſſunt quin illas attingant; Occidente tenus venientes ut ventos ſecundos ſequantur; ab Oriente vero ut eoſdē rimentur. Noſtro ævo famam meruerunt, primo, ob pertinaciam habitantium in Rege Catholico à ſucceſſione regni Portugall. arcendo: deinde propter victorias quas Hiſpani juxta illas obtinuerunt contra Gallos atque Anglos.

De ditionibus in Africa atque Æthiopia.

PОrro Portugalliæ reſpectu poſſidet Rex Catholicus ad oram Africæ, præter Septam & Tanger intra fretum Herculeum, & Magazan extra ipſum viginti milliar. ab Arzilla verſus Meri-

diem, à Promontorio d'Aguero ad Guardafu, ditiones duorum generum: nam alię immediate ipſi ſubſunt, aliæ ipſius confœderatis. Subſunt ipſi Inſulæ Madera, Portus Sanctus, Capitis Viridis, Arguin, Sancti Thomæ & vicinæ. Hæ inſulæ non modo ſua ſe annona alunt, ſed & copiam illius in Europam emittunt; maxime Saccharum & fructus, quibus maxime abundat (ſicuti & vino) Madera; Sacchari autem magna vi Inſula S. Thomæ. Hæ ditiones non niſi à piratis Anglis & Gallis infeſtantur, qui tamen raro Inſulas Cap. Viridis excedunt. In Inſula Arguin, & S. Georgii de Mina duas factorias habent Portugalli, ad modum arcium, unde commercia exercent cum vicinis gentibus, Guineæ atque Lybiæ, & aurum Mandingæ, & vicinorum locorum attrahunt ad ſe. Inter principes confœderatos opulentiſſimus & nobi-

nobiliſſimus eſt Rex Congo, ſiquidem unum è copioſiſſimis & amæniſſimis Æthiopiæ Regnis poſſidet. Portugalli hic duas habent colonias, unam in oppido S. Salvatoris, alteram in Inſula Loanda. Ex hoc regno varias opes hauriunt; inprimis autem circiter quinq; millia mancipiorum quotannis, quæ per inſulas & in Novo Orbe diſparguntur; & pro ſingulis capitibus, amplum vectigal coronæ Portugalliæ penditur.

Ab Regno hoc haud difficile fuerit ad Presbyterum Joannem tranſire, ſiquidem iter haud ita longum cenſetur; & Congo ita abundat elephantis, annona & omnibus rebus neceſſariis, ut ſummam ad hanc expeditionem offerat opportunitatem. Congo finitima eſt Angola, cum cujus principe Paulus Diaſius Portugallorum Dux hodie bellum gerit; cauſa belli principalis ſunt argenti metalla,

quæ

quæ Potoſianis nequaquam cedunt; quinimo tantundem ſuperant, quantum argentum perfectum præſtat impuro. Et ſi Portugalli tanti feciſſent viciniores regiones quanti longinquas, & vires, quibus ſuperato Bonæ Spei promontorio ad Iñdiam, Malaccam, & Moluccas penetrarunt, ad Africam domandam convertiſſent, minori opera & ſumptu, majores opes fuiſſent adepti: neque enim in univerſo orbe regio eſt opulentior auro atque argento, quam Regna Mandingæ, Æthiopiæ, Congo, Angolæ, Butuæ, Toroæ, Maticui, Bori, Quiticui, Monomotapæ, Gafrariæ, & Monoemugi. Sed cupiditas humana majoris facit aliena quam ſua; & longinqua magis allubeſcunt, majora apparent eſſe quam propinqua. Inter promontorium Bonæ Spei & Guardafu habent Portugalli, arces Sofalæ & Mozambici. Illa Domi-

ni ſunt commerciorum cum vicinis regionibus, quæ auro atque ebore abundant: hanc navigationem in India faciliorem faciunt; nam claſſes illorum, aliquando hic hybernant, aliquando annonam aliaque neceſſaria ſibi comparant. Habent ad hanc oram Regem Melindæ ſibi amiciſſimum; Quiloæ autem & quarundam Inſularum etiam vectigalem. Nihil Portugallis deeſt, niſi milites; nam præter alias inſulas, quas alii veluti relinquunt, eſt hic S. Laurentii Inſula, è majoribus, ſi non maxima totius orbis (quippe mille ducenta mill. longa, quadringenta octuaginta lata) quæ licet non ſit bene culta, capaciſſima tamen eſt ob fœcunditatem ſuam, cujuſvis culturæ: natura illam fluminibus, portubus, & ſinubus opportuniſſimis diſtinxit. Hæ ditiones Coronæ Portugallicæ, non habent quod metuant niſi à copiis maritimis,

quæ non poſſunt eſſe niſi Turcarum : Sed claſſes Portugallorum quæ ultra citraque commeant ſecundum has oras, illas ſatis tutantur ; & anno CIↃ IↃ LXXXIX haud longe à Monbazza quatuor triremes & unam liburnicam Turcis eripuerunt, quæ eatenus excurrere auſæ fuerant.

De ditionibus in Aſia.

HÆ diviſæ ſunt, aut in Perſia, aut Cambaja, aut India citeriore & ulteriore. In Perſia poſſident Portugalli Regnum Ormuzii, in Cambaja Inſulam Dium, Damam & Bazain. In India citeriore Chaul, Inſulam Goæ cum adjacentibus, arces Cochin, Colan ; Inſulam Manaris & portum Columbi in Inſula Ceilon ; ſed principalis eſt Goa ubi Prorex manet & Indiæ robur. Ormuzium & Dium magni merito ſunt ob dominium maris & com-

mercia

mercia ſinus Perſici, & freti Cambaici: Cochin & Colan ob piperis copiam quæ ibidem in naves imponitur. Manar propter margaritarum piſcaturam quæ in illo mari exercetur. Columbo ob excellentiam & copiam Canellæ quæ ex hac Inſula educitur: Daman & Bazain propter agri fœcunditatem: quare Joannes III. Portugall. R. hic veteranis ſuis prædia ſolebat aſſignare. Goa longe maximi momenti eſt ob opportunitatem ſitus & agri ſui fœcunditatem. Abundant omnes hæ Indorum regiones goſſypio, palmis (quibus vel maxime indigenæ ſe ſuſtentant) oryza, fructibus, pipere & zinzibere.

Habet præterea Rex Catholicus hic aliquot principes amicos, alios etiam vectigales; inter amicos primus & ditiſſimus eſt Cochini princeps: hic antea Vaſallus fuit Regis Calecuti, nec admodum potens, hodie per amicitiam & com-

mercia cum Portugallis, tantas opes, potentiamque ſibi comparavit ut vicinis ſuis terrori ſit. Rex Colan quoq; amicus eſt; in utriuſq; regno caſtella habet Rex alicujus momenti. Sunt præterea diverſi principes vectigales.

Vires.

POtentia Portugallorum in hiſce ditionibus, è duabus rebus conſtat; locorum munitiſſimo ſitu, & numero atque præſtantia claſſium. Ad ſitum quod attinet, Portugalli minime ignari ſe tam exiguo numero, intra continentem expeditiones magni momenti ſuſcipere non poſſe, nec viribus pares eſſe Perſis, Guzaratis, principi Decan, Regi Narſingæ & aliis, ejuſmodi ſitus ſibi elegerunt, quibus mari poſſent dominari & commerciis, & qui cum exiguis copiis adverſus grandiſſimos exercitus poſſent defendi. Cumque

maris

maris & portuum Domini ſint, tantas vires maritimas commodiſſime coädunare poſſunt, ut nemo ipſis valeat reſiſtere. & navigia eorum talia ſunt, atque in eum modum inſtructa, ut unum illorum tria aut quatuor alterius ſortis minime pertimeſcat. Et ut pauca adferamus, è quibus potentia illorum in India liqueat, Franciſcus Almeida cum XXI aut paulo pluribus navibus, Mamaluccos ad Dium ſuperavit; Alfonſus Albuquerquius triginta onerariarum claſſe Calicut oppugnavit; cum XXI cêpit Goam: cũ XXIV amiſſam recuperavit; cum XXIII navibus cepit Malaccam; cum XX mare Erythręum eſt ingreſſus; cum XXII Ormuzium recepit. Inde ſemper in majus proficientes; Lupus Suarez ad expeditionem in mare Erythræum XXXVII majora navigia duxit. Lupus Sigueira cum XXIV onerariis, ſed majore, quam unquam

quam hominum numero; Guiddam in mari Rubro tentavit, cum XLVIII Dium: Henricus Meneſius cum L Patanen diripuit: Lupus Vazius Sampajus 136 navigia bellica in armamentario reliquit, omnibus rebus probe inſtructa: Nonnius Acugna expeditionem Dienſem cum CCC navibus ſuſcepit, quibus tria millia Portugallorum & quinque millia Indorum vehebantur, præter magnum ſatellitum armatorum numerum, quos ſecum ducere conſuevere. D. Conſtantinus Braganza in Onorenſi expeditione C vela habuit; nec pauciora in Joneſepatanenſi.

Principes Finitimi.

PRæter Principes amicos & vectigales ſive tributarios, hæ ditiones limites jungunt cum potentiſſimis inimicis; nam Rex Perſiæ jus prætendit in Ormuzium, quondam ſui Vaſalli proprium. Rex

Rex Cambajæ in Dium, ſuam quondam Inſulam, & alias terras quondam ipſius. Nizzamaluccus Idalcanus (ita vocant Portugalli duos potentiſſimos principes regni Decan) & Calecuti Rex, & Narſingæ: ſed Rex Perſiæ & Narſingæ nunquam ſe Portugallis oppoſuerunt; quia ſemper ipſis res fuit cum longe majoribus inimicis: reliqui licet omnes nervos intenderint ad recuperandũ Dium, Chaul & Goam vicinaque loca, nihil unquam magni potuerunt efficere; quia ſitus locorum nimis opportunus eſt ad ſubſidia maritima recipienda. Et licet, ut ſubſidia illa excluderent, plerumque hybernis menſibus moverint, nihil profecerunt; quia & navigiorum qualitas, & Portugallorum ferocia omnia pericula contempſit; ut dum obſeſſi obdurant & patienter omnia tolerant, alii autem, ut ſuis opitulentur ventorum tempeſtatibus

& maris incommodis fortiter ſe exponunt, omnes inimicorum molitiones ſubverterunt. Verum nullum graviorem inimicum habent Portugalli quam Turcas, qui è mari rubro, ob opportunitatem oppidi Adenis, ſæpe illos ex India pellere, nunc à Rege Cambajæ invitati, nunc à propria ambitione incitati, ſunt conati. Maxima claſſis fuit LXIV navium quam miſit ad Dium; ſed turpiter in fugam acta. Alteram item XXVII navium ad expeditionem Ormuzianam deſtinavit, quæ fere tota oppreſſa fuit & conquaſſata. In Ceylan certe nihil habent præter arcem Columbo; nam Rex qui ibidem ipſorum vectigalis erat, Regno ejectus fuit à Singa Pandar Mahumetano: unde hic Rex hodie exul, Portugallorum opibus ſuſtentatur.

De

De India Vlteriore.

IN India Ulteriore poſſident Portugalli Malaçcæ Regnum & Inſulas Moluccas. Malacca caput eſt Regni quod patet CCLXX mill. ſed ob aëris inſalubritatem incolis infrequens; nullum ibi oppidum alicujus momenti præter ipſam civitatem. Quæ ita ſita eſt, ut omnia commercia, omneſque navigationes conjungat, quæ inde à mari rubro ad promontorium Liampo ſuſcipiuntur: & hic coacervantur divitiæ continentis, & tot tantarumque Inſularum, quæ amplitudine ſua Europæ minime concedunt. Fuit Malacca aliquando longe major, & ſupra tria mill. ſecundum oram extenſa, ſed hodie Portugalli ut facilius defendi poſſet, illam in munimentum contraxerunt, quod non ultra unum milliare in ambitu patet. Duos habet potentiſſimos inimi-

cos Reges Jor & Achen, illum terreſtribus copiis validum, hunc maritimis; à quibus non ſemel obſeſſa & in arctum redacta fuit; ſed ſemper ab iis qui ex India ſuppetias tulerunt, liberata cum ſtrage & excidio inimicorum. Tandem Rex Jor fuſus fuit à Paulo Lima, & arx in vicinia Malaccæ ab ipſo extructa, capta; in qua inter alia ſpolia inventa fuerunt nongenta ænea tormenta bellica. Nihilominus hæc ditio plurimum periclitatur, ob Regem Achen, qui omnem ſuam potentiam ad illius perniciem convertit. Unde ut illam in tuto collocet, creditur Rex Catholicus Matthiæ Albuquerciô, quem ante biennium cum ſumma poteſtate, & maximis copiis in Indiam ablegavit, expeditionem Achenenſem imperaſſe.

Supereſt Regnum Moluccarum, in quo Portugalli, ut commercium cariophyllorum, quæ in

hiſce inſulis creſcunt, & nucum muſcatarum, quæ Bandæ inſulæ peculiares ſunt, ſibi conſervarent, arcem in Inſula Ternate conſtruxerunt, quæ ſuperioribus annis auxilii ſpe deſtituta, Mahometanis dedita fuit. Nihilo tamen ſecius Portugalli ad Inſulam Tydor ſe recipientes, commercium cariophyllorum hactenus tuentur. Nulla eſt in Orbe regio, cujus incolæ compoſiti ſint ex pluribus nationibus, nec magis diverſis inter ſe moribus & linguis; nec magis inſtabilibus, fraudulentis, perfidis: Unde hic nulla unquam pax nec quies, nec quicquam boni.

XIII.

Pontifices & Prælati PORTUGALLIÆ.

E Lucio Marinæo Siculo.

ARchiepiſc. Oliſiponenſis 16000. d.
Archiepiſc. Bracharenſis 12000. d.
Damian. à Goes 24000. d.
Epiſcopus Eborenſis 20000. d.
Epiſcopus Viſei. 8000. d.
Epiſcopus Guardianus 5000. d.
Epiſcopus Conimbr. 12000. d.
Epiſcopus Portuenſis 4000. d.
Epiſcopus Lamegenſis 6000. d.
Damianus à Goes addit;
Archiepiſcopum Funchalenſem 8000. ducat.
Epiſcopum Septenſem 2000. d.
Vaſæus addit;
Epiſcopum Lerienſem non procul à Conimbrica à Paulo III. inſtitutum.

Epi-

Epiſcopum Mirandenſem ab eodem Paulo III. Papa inſtitutum.
Epiſcopum Portalegienſem ab eodem Paulo III. inſtitutum.
Epiſcopum Sylvenſem in regnō Algarbiæ qui Oſſonobenſi ſucceſſit. ei autem Damianus à Goes tribuit 4000 ducat.
Aubertus Miræus, in notitia Epiſcopatuum Bracarenſi Archiepiſcopo dat ſuffraganeos Epiſcopum Portugallenſem, ſive Portuenſem vulgo Porto vel Puerto.
Epiſcopum Guardienſem, olim Igæditanum vulgo Guardæ.
Epiſcopũ Viſeenſem vulgo Viſeo.
Epiſcopum Lamegenſem vulgo Lamego.
Epiſcopum Mirandenſem vulgo Miranda.
Olyſiponenſi Archiepiſcopo hoſce tribuit;
Epiſcopum Conimbricenſem vulgo Coimbra.

Epiſcopũ Albenſem vulgo Eluas.
Epiſcopum Lerienſem vulgo Leira.
Epiſcopum Portalegrenſem vulgo Portalegre.
Epiſcopum Septenſem in Afric. vulgo Ceuta.
Epiſcopum Funchalenſem in inſula Madera, vulgo Funchal, Madera.
Epiſcopum Angrenſem in inſula Tercera, vulgo Angra.
Epiſcopum Cōngenſem in regno & urbe Congo ad oram Africæ.
Heſperidum inſularum vulgo Capitis Viridis in inſula & urbe S. Jacobi.
S. Thomę in Inſula & urbe S. Thomæ ſub linea æquinoctiali, ex oppoſito Guineæ.
Braſilienſem in urbe Bahia omnium Sanctorum; vulgo S. Salvador.
Eborenſi Archiepiſcopo tribuit hos;
Syl-

Sylvenſem Epiſcopum ſive Algarbienſem in urbe Silvos aut Faro.
Tingenſem ſivè Tingitanum in Africa vulgo Tanger.
D. T. V. Y. ut ſupra tribuit.
Epiſcopo Lerienſi 8500. d.

Nicolaus Oliveira reditus quidem annuos Eccleſiaſticorum non recenſet, ſed ſummatim annotat; opes Eccleſiaſticorum., pene æquales eſſe ſecularium opibus, una cum Regiis.

De ordinibus militaribus Portugalliæ.

I*Oannes Boterus*. In Portugallia ſunt quatuor ordines militares;
S. Joannis, qui novemdecim Commendas habet & duas Ballivias:
Chriſti, qui centum & quadraginta Commendas complectitur, aut circiter, pleraſq; valde opulentas:

Aviſi:
S. Jacobi.

Quantum capio (inquit) reditus Eccleſiaſtici & ordinum militarium aſcendunt ad millionem Coronatorum.

Præter Equites Divi Jacobi (inquit *Coneſtagius* lib. 1.) & Alcantaræ ſive Sancti Benedicti (quos à loco quodam Equites Aviſi vocant; illi cruce rubra, hi viridi, more Caſtellano utuntur) eo tempore quo Templarii exterminati fuerunt, ex eorundem reditibus alium inſtituerunt ordinem Equitum, quos Equites Chriſti vocant. Sunt autem cruce rubra, quæ in medio alba eſt, inſignes, & Sacramento ad bellum contra infideles gerendum obſtringuntur.

Sub Rege Emanuele; Ab Alexandro Pontifice (inquit *Mariana* lib. 26. c. 13.) impetrata iis; qui deinceps tribus ordinibus militaribus in Luſitania ſe adjungerent,

rent, perpetuæ caſtitatis venia, indulta facultate conjugii, quo eatenus erant veteri inſtituto prohibiti. ab hoc aditu opima eorum ordinum vectigalia; non hominibus militaribus ut antea attribui; ſed in aulicorum delicias, qui caſtra nunquam viderunt, conferri cœperunt.

Qui autem hi tres ordines fuerint, ex *Nicolao Oliveira* diſcimus, qui ordinem Joannis excipit, & cæteris à Pontifice hanc uxores ducendi licentiam indultam teſtatur, exceptis iis qui jam caſtitatem voverant.

Porro regem quoque Portugalliæ Magiſterium ordinum militarium cum reditibus ad ſe traxiſſe, ex eodem Oliveira patet: qui ſcribit Regem ratione magiſterii ordinis Chriſti ex oppidis Tomar & Soure; ex Setubal & Alcacer quæ pertinent ad ordinem S. Jacobi; denique ex Benavente,

vente, quæ ad ordinem Aviſi aut S. Benedicti refertur, annuatim percipere in pecunia, frumento, vino, oleo, & çera decem contos, octuaginta quinque millia, quingenta ſeptuaginta rees; quorum 400. faciunt Coronatum Portugallicum. Id eſt ratione ſubducta 25214. duc.

Præterea duæ aliæ Commendæ Aldeagalega & Alhos Vedros reddunt annuatim unum Contum, id eſt millionem rees vel 25000. d.

Idem Oliveira commemorat, ordinem Chriſti quadringentas quinquaginta quatuor Commendas complecti, quibus quotannis à Rege ſolvuntur 23. 6326. cruſat. ſeu ducat. Portugallici.

Ordinem S. Jacobi ſexaginta Commendis conſtare, quibus quotannis 12, 0000. cruſati impenduntur;

Ordinē Aviſi quadraginta tribus cōmendis & 70000, cr. impendi.

Coro-

Coronidis loco ſit quod ſcribit Licentiatus Hieronymus de Cevallos. Si ratio (inquit) earum terrarum, redituumque & omnium quæ hodie ab Eccleſiaſticis in Regno Hiſpan. poſſidentur, ineatur, liquido conſtabit longe plus à Clero poſſideri, quam à ſecularibus.

E Theatro Madriti, Gonſalui d'Avila Hiſtoriographi Regii.

BRACARENSIS Archiepiſcopatus habet 1266. Baptiſteria, ſeptuaginta Conventus, quorum quinquaginta & quinque ſunt religioſorum, in quibus degunt numero 664, nimirum quadringenti quinquaginta qui vivunt è reditibus quæ poſſident ad 111500 ducat. annuos, & 214 qui Eleemoſynis aluntur. Et quindecim ſunt Monialium, in quibus 482 religioſæ, habentque in annuo reditu viginti ſeptem millia ducatorum.

Eccle-

Eccleſia Metropolitana poſſidet tredecim Dignitates, viginti quinque Canonicatus, unum Abbatem & tredecim Tercianarios, & duas ſupra centum Commendas.

Olyſipponenſis Archiepiſcopatus tenet 177 Baptiſteria & 223 adjuncta ſive annexa.

Eborenſis Archiepiſcopatus obtinet duas civitates, Eboram & Bejam, ſexaginta Villas, & 312 Baptiſteria, ſeptuaginta Monaſteria religioſorum & monialium; quadraginta & octo domos Miſericordiæ, ſexcentas ædiculas (*Hermitas*) mille clericos; & in toto Archiepiſcopatu 174000 animas, quæ confitentur & communicant: Eccleſia Cathedralis habet octo Dignitates, viginti quinque Canonicatus & præbendas, & quindecim beneficiato Bacillarios. De Epiſcopatu *Conimbricenſi* nullam relationem accepi.

Portuenſis Epiſcopatus, dividitur

tur in quatuor regiones, quæ complectuntur 314 Baptiſteria, & 84500 animas quæ confitentur & communicant: triginta Monaſteria. Eccleſia Cathedralis tenet octo Dignitates, duodecim Canonicatus, quinque medios Canonicos, undecim Bacillarios, quatuor medios; & Civitas habet quatuor millia focorum.

Lamecenſis Epiſcopatus, itidem dividitur in quatuor regiones; & habet in iis trecenta Baptiſteria, quindecim Conventus, unum Hoſpitale & Domum Miſericordiæ. Eccleſia Cathedralis tenet ſeptem Dignitates & 18 Canonicatus.

Viſeenſis Epiſcopatus, habet ſeptem Archipresbyteratus, & in illis ducenta octuaginta Baptiſteria; octo Conventus religioſorum & monialium: & in Eccleſia Cathedrali, octo Dignitates & octodecim Canonicatus.

Mirandenſis Epiſcopatus, compreben-

prehendit trecenta & viginti Baptiſteria, præter centum octuaginta & unum loca ſex aut octo caſarum ſine Eccleſia, qualia vulgo vocant *quintas:* 1100 ædiculas, duas civitates, tredecim oppida, & quindecim judicaturas: novem domos Miſericordiæ, duo Xenodochia; quinq; Monaſteria religioſorũ & monialiũ; & in toto Epiſcopatu viginti & tria millia focorum, & in iis 63000 animarum, quę confitentur & communicant.

Portalegrenſis Epiſcopatus habet tredecim oppida, unum ſupra quadraginta Baptiſteria, nonaginta & ſex ædiculas, quinque Xenodochia, octo Conventus religioſorum & monialium, unum Seminarium. Et affirmat Epiſcopus in ſua Relatione, Epiſcopatu in ſuo numerari 8578 familias.

Guardenſis Epiſcopatus, tenet in longitudinem triginta & tres leucas, in latitudine decem: habet

bet duas civitates, triginta ſex oppida, ducentos & viginti duos pagos; 260 Baptiſteria: Septuaginta millia incolarum: 670 confratrias, quingentas ſexaginta ędiculas: novemdecim Conventus religioſorũ & monialiũ; quadraginta duas Comendas Chriſti; duas Comendas de Auis, tres commendas ordinis S. Joannis: in Eccleſia Cathedrali ſeptem Dignitates, 22 Canonicatus, & in toto Epiſcopatu ſeptem Eccleſias Collegiales.

Algarbienſis Epiſcopatus, continet quadraginta & tres parochias, triginta & duas ædiculas, quatuordecim Conventus Religioſorum & monialium, quinque Xenodochia, duodecim domus Miſericordiæ, ſex Prioratus ordinis S. Jacobi, unum ordinis Chriſti, duos ordin. de Avis: & undecim Prioratus quos vocant S. Petri. Eccleſia Cathedralis obtinet ſeptẽ dignitates & duodecim Canonicat⁹.

Leyrenſis Epiſcopatus complectitur triginta Baptiſteria & quinque Conventus.

Elvenſis Epiſcopatus, complectitur quinquaginta Baptiſteria, octo Prioratus, tredecim Rectoratus, octo ſupra viginti Curas perpetuas, viginti quatuor annuas: 37 Beneficia ſimplicia; ſeptem Monaſteria fratrum, tria monialium, tredecim Caſas Miſericordiæ, unum Xenodochium. Eccleſia Cathedralis habet quinque Dignitates & decem Canonicatus.

In Africa in Mauritania Tingitana præſentat Epiſcopatum Tingitanum.

In India Orientali Archiepiſcopatum Goenſem Primatem Indiæ.

Epiſcopatum Inſulæ Maderæ qui continet triginta ſex Baptiſteria, quinque Conventus religioſorum, quatuor Xenodochia, 82 ædiculas: obtinetque in ſua Eccleſia Cathedrali quinque Dignitates, & duo-

& duodecim Canonicatus, & quatuor medios: complectitur Epiſcopatus tria oppida; & in univerſum 6096 focos; in quibus anno 1623 numerabantur 23283 perſonæ confitentes & communicantes.

Epiſcopatus Angræ in Inſulis Terceræ.

Epiſcopatus promontorii viridis, vulgo Cabo verde.

Epiſcopatus S. Thomæ Inſulæ.

Epiſcopatus Angolæ.

Epiſcopatus Cochinenſis.

Epiſcopatus Malacenſis.

Epiſcopatus Meliaporenſis.

Epiſcopatus Macaenſis.

Ex omnibus hiſce Archiepiſcopatibus & Epiſcopatibus Pontifex Romanus non accipit ſpolia Epiſcopi defuncti, aut fructus Epiſcopatu vacante.

In omnibus autem Rex confert multas Dignitates, Canonicatus,

Prioratus, Abbatias, Beneficia & Capellanias magno numero.

Confert Prioratum Cratenſem ordinis militaris S. Joannis, cujus reditus annui aſcendunt ad 26 mill. Cruzatorum: Prior autem eſt dominus duodecim oppidorum, nonaginta quatuor pagorũ, trium judicaturarum; in iiſque obtinet juriſdictionem ſecularem & ſpiritualem, criminalem & civilem: continet viginti novem parœcias, ſex millia focorum & triginta mill. animarum, & Collationem omnium officiorum & beneficiorum in ſuo Prioratu. Eſt dominus quatuordecim Compaſcuorum, & omnium qui tranſeunt Prioratum; neque quiſquam Vaſallus aut advena ſine ejus conſenſu poteſt ædificare molinum, aut augere: Collationem habet 91 beneficiorum Eccleſiaſticorum majorum & minorum, & 254 officiorum juſtitiæ & quæſturæ.

DE

XIV.

DE ACADEMIIS ET Scriptoribus Luſitanis.

Ex

HISPANIÆ BIBLIOTHECA, &c.

CONIMBRICENSIS Academia in Luſitania à Joanne III Rege Portugalliæ excitata, evocatis è Gallia Doctoribus, (ut Colonia eſſe videatur Lutetię & Burdigalæ,) opera Andreæ Goveani Luſitani Theologi, Nicolao Gruobio Philoſopho, Georgio & Patricio Buchananis Scotis.) De qua Jacobus Payva Andradius ad Sebaſtianum Regem: *Conimbricenſis & loci natura amœniſſima & omni genere litterarũ clariſſima Academia eſt, in qua ipſe ab ineunte ætate litterarum ſtudiis incubui.*

Ebortnſis, nuper quoque ab Henrico Cardinali Luſitaniæ ejuſdem civitatis Præſule conſtructa. De qua idem Jac. Payva: *Quod ſi Academiarum gloria* (*inquit*) *magis litterarum & virtutũ ſplendore, quam antiquitate conſtat, hac certe paulo ante conſtituta, cum antiquiſſimis & toto orbe celeberrimis jure certare poterit. Satis enim illa præ ſe fert ſpecimen integritatis, prudentiæ, pietatis, fidei & religionis: quibus mirum in modum excellit Henricus princeps, qui illam egregie fundatam, mirifice auctam omnibus neceſſariis rebus munitam nobis & poſteritati exædificavit.* Hinc oriundus L. Andreas Reſendius, poeta pius & Orator & Theologus, cui multum ob ſingularem ſacræ antiquitatis cognitionem, ſcriptis conteſtatam, omnis Hiſpania debet.

SCRIPTORES.

PETRVS HISPANVS Portugallenſis, Epiſcopus Tuſculanus & S. R. E. Cardinalis; ac poſtremo ſummus Pontifex poſt Hadrianum quintum: Claruit in Pontificatu ſub nomine Joannis XXI, tempore Rudolphi Imper. ann. 1275. vir in medicina valde eruditus, & in ſeculari Philoſophia magnifice doctus: reliquit quædam ſcripta, de quibus vide Trithemium.

Ioannes Conſobrinus, Portugallenſis natione, ordinis fratrum B. Mariæ ſemper virginis de monte Carmeli, vir in divinis ſcripturis eruditiſſimus, & ſecularis litteraturæ ac juris Canonici non ignarus, ingenio excellens, in declamandis ſermonibus ad populum celeberrimæ opinionis. Claruit anno 1478.

Hieronymus Oleaſter ord. Do-

minic. in Luſitania natus & S. Fidei inquiſitor: obiit ann. 1564.

Antonius Fonſeca, ſumma Theologorum laurea cohoneſtatus, primum Conimbricenſi in Academia ſacras interpretatus litteras Olyſipone poſt Joanni III R. à conſiliis fuit. Scripſit *Annotationes in Commentaria Cajetani in Pentateuchum.* Claruit an. 1542.

Antonius Dominicus Conimbricenſis, ubi & S. Theologiæ Doctor Dominicanæ familiæ columen floruit, obiitque Barcinone. Extant quædam illius ſcripta.

Didacus Stella, rarus Dei concionator, Illuſtr. Card. Granvellano quondam à ſecretis conſcientiæ; commentatus eſt ſtylo tenui & vulgari Euangelium Lucæ vaſto volumine: Scripſit & alia.

Marcus Vlyſſiponenſis ord. minor, ſcripſit Chronicon religionis Luſitan. ling. III. volumin.

Philippus Diaz ord. min. operibus

ribus multis Eccleſiam ordinemque ſuum decoravit.

Simon Coelius ord. Carmelit. S. Theolog. Doctor, ſcripſit opus de Carmelitarum antiquitate, Olyſſipone excuſum.

Ioannes à S. Ioſeph, qui cum Hieronymo Romano Chronica à S. Auguſtino ad ſua tempora edidit anno 1569.

Gaſpar Caſalius ord. Eremit. S. Aug. edidit de Cæna & Calice Domini ad Pium IV Pontif. lib. 3. aliaque: floruit ad ann. 1575.

Ioannes Soarez ordin. Eremit. S. Aug. Epiſcopus Conimbricenſis edidit Com. in Euangelium Matthæi; celebris in Concilio Tridentino.

Rodericus S. Crucis ord. S. Aug. docuit Olyſſipone litteras divinas & humanas: ſcripſit in Ariſtotelem & Magiſtrum ſentent.

Franciſcus à Chriſto ordin. S. Augu. reliquit prælectionum admi-

admirabilis divini verbi Incarnationis lib. VI.

Cyprianus Zoarez Luſitanus Rhetoricam edidit.

Gaſpar Conſalvus ſcripſit orationem in adventum Legatorum Japoniorum.

Ludovicus Crucius Pſalterium carmine reddidit; edidit & alia Poemata & Dramata.

Antonius Goveanus edidit multa in jure civili.

Emanuel Coſta Juriſconſultus inſignis, in Conimbricenſi Academia profeſſor, ſcripſit commentarium in c. Leg. ſi pater. de Teſtamentis lib. VI. & alia.

Arius Pinelus præclarus Juriſconſultus.

Amatus Luſitanus in arte medica valde excelluit, cujus opuſcula Antverpiæ, Venetiis, Lugduni excuſa.

Thomas Rodericus à Vega Eborenſis, medicus inſignis, compoſuit com-

commentaria in lib.. Hippocrat. de victus ratione; aliaque.

Chriſtophorus à Coſta de ſimplicibus atque Aromatibus Indiarum varie eſt commentatus: mutuatus magnam partem à *Garcia Ab orta* Luſitano, ut ipſe ingenue profitetur.

Ferdinandus de Mena profeſſor Conimbricæ, ſcripſit de febribus. item de pulſibus & urinis, & de ratione permiſcendi medicamenta.

Rodericus à Fonſeca ſcripſit in legem Hippocratis comment. item de Calculorum remediis, & alia.

Gaſpar Barrerius ſcripſit de Beroſo falſo nomine edito, & alia.

Arius Barboſa Grammaticus & poeta egregius, Antonii Nebriſſenſis æqualis & Salmanticæ in docendo collega fuit, ſed Barboſa Græce doctior, alter varia præditus lectione: uterque ſtudio ac labore par in profliganda ex Hiſpaniæ finibus barbarie.

Hen-

Henricus Cardinalis & poſtea Rex Emmanuelis R. filius ſcripſit lingua Luſitana Sermones ſpirituales de rebus divinis ad populum habitos, quos Antonius Senenſis Luſitanus & ipſe ordinis S. Dominici, latinos à ſe factos Lovanii evulgandos curavit an. 1575.

Andreas, *Antonius*, *Martialis* tres fratres *Goveani* doctrina multum claruerunt, de quibus videnda Epiſtola Eliæ Vineti ad Andream Schottum.

Antonius Pinus Portodomæus, propter ingenium & artes liberales, quibus fuit inſtitutus, & illud ſuum commentandi genus, quo librum F. Quintiliani tertium perdifficilem enarravit, Philologis & eloquentiæ ſtudioſis non improbandus.

Petrus Nonius Salacienſis Mathematicus egregius, viguit in Academia Conimbricenſi; compoſuit libros de navigandi arte, regu-

lis

lis & inſtrumentis; aliaque ejuſdem generis.

Ioannes Meneſius alias *Amedeus*, Didaci Sylvæ Ducis Portalegrii frater, nobili Comitum Villæ regiæ familia ſatus, S. Franciſci regulam amplexus; miris revelationibus illuſtrari meruit, quas cum ſcripto redegiſſet, talia de futuro Eccleſiæ ſtatu & imperiorũ tranſlatione prædixit, ut idem, quod Danieli Hieronymus tribuit Epitheton, illi congruere, totiuſque mundi Philoiſtor appellari poſſit. Scripſit & alia.

Gaſpar Varrerius latine & omnis antiquitatis egregie doctus præcipue Geographiæ; de qua quædam ſcripſit.

Garcias Meneſius orator inſignis, Duarti Meneſii Comitis Tarronenſis filius, Eborenſis Epiſcopus, Alfonſi V. R. legatus ad Xiſtum IV Pontificem orationem habuit admodum diſertam, editam Romæ an. 1481. *Al-*

Alphonſus Meneſes viatorium Hiſpaniæ ſcripſit, quod citatur ab Ortelio in Parergis.

Iacobus Tevius Bracarenſis, una cum aliis Conimbricæ Academiæ fundamenta jecit. Edidit poemata partim latina, partim Luſitanica: orationes quoque aliquot ad Sebaſtianum Regem: ſcripſit & Dienſem in India obſidionem pereruditе.

Iacobus Payva de Andrada Theologus in Synodo Tridentina perdiſertus. Scripſit explicationes omnium fere de religione capitum, quæ controvertuntur.

Ioannes Biclarienſis Scalabi in Luſitania natus, ad Pyrenæi montis radices, Biclarienſe monaſterium conſtituit, optimis legibus atque inſtitutis ad Benedicti regulam conformatum. Scripſit ſui temporis Chronica. Videndus de illo Mariana lib. v. annalium cap. 14. & 15.

An-

Andreas Reſendius Eboræ in Luſitania natus, vir doctiſſimus, cujus ſcripta omnium manibus teruntur, quæ perquam multa edidit & verſibus & proſa.

Achilles Statius Poeta ſimul & Philologus, cujus ſcripta plurima Doctorum manibus teruntur.

Damianus à Goes natus in oppido Alanquer, multa ſcripſit, quæ hic referre longum eſſet.

Gondiſalvus Pinarius Epiſcopus Viſenſis, Cetobricæ natus, de cujus vita & ſcriptis videndus Jacobus Menoetius Vaſconcellus.

Michael Cabedius Cetobricenſis, Senator regius & Olyſſiponenſis Civitatis gubernandæ triumvir, cujus vitam & ſcripta videre eſt in Bibliotheca Hiſpaniæ.

Iacobus Menoetius Vaſconcellus I. C. Ejus varia extant & leguntur ingenii monumenta. Vitam ejus & ſcripta vide in eadem Bibliotheca.

Hector Pintus in Academia Conimbricenſi publicus ſacrarum litterarum profeſſor; cujus vitam & ſcripta ibidem videre eſt.

Antonius Senenſis patria Vimanarenſis, Diœceſis Bracarenſis, S. Theologiæ Doctor: cujus multa ſcripta extant quæ legere eſt in eadem Bibliotheca.

Michael Sylvius Viſenſis Epiſcopus poſtulatus & presb. Cardinalis: mature obiens magnum ſui deſiderium reliquit.

Hieronymus Oſorius Silvenſis Epiſcopus, multis ſcriptis illuſtris, quæ omnium manibus teruntur.

Antonius Lupius Oſorii contubernalis; ſcripſit carmine eleganti bellum quo Mauri Mazaganum in Africa oppidum obſederunt; & Crucis Myſterium, opus præclarum, lectuque dignum.

Atque hos quidem nobis Bibliotheca Hiſpaniæ ſuggeſſit: ſunt autem plures alii, maxime ii qui

ſua

ſua vernacula ſcripſerunt, & propterea nobis ignotiores; inter quos tamen minime nos latent:

Ioannes de Barros inſignis rerum à Luſitanis in India & alibi geſtarum ſcriptor.

Duarte Nunez de Leaon qui ſuo idiomate edidit deſcriptionem regni Portugalliæ.

Inter vernaculos eorum poetas maxime celebratur *Luis de Camoes* cujus Poemata excuſa vidi in vigeſimo quarto Olyſſipone 1629.

APPENDIX

I.

LOCORUM ALIQUOT Portugalliæ deſcriptio è Bibliotheca Hiſpaniæ.

VITIGERIA Oppidum à vitium copia ſic dictum; rivis duobus, iiſque perennibus irriguum: in ea Luſitaniæ parte ſitum, quam à Tagi fluminis ſitu Tranſtaganam vocant: fœcundiſſimo ſolo, agroque frumenti, pecoris, olei, vinique feraciſſimo.

In Luſitaniæ ora maritima, juxta radices Barbarii promontorii ſitum eſt nobile & opulentum Oppidum, quod vulgo *Cetuval* dicitur, olim vero à Geographis *Cetobrica* & *Cetobrix* dicebatur. Tanta autem eſt ejus ſitus amœnitas ac pulchritudo, ut illum natura ipſa veluti penicillo depinxiſſe videa-

videatur: nam ab occidentali plaga mare habet Oceanum, nobilium piſcium omnis, generis & præcipue Mullorum, Solearumque copia redundas. Ab orientali autem, Callipodem fluvium, *Sadenum* hodie dictum, non ſolum lintrium, ſed & navigiorum uſque ad quinquaginta fere millia paſſuum capacem: quo fertiliſſimus ager irrigatur, optimi tritici & omnium, quas terra producit, frugum feraciſſimus: præterea incredibili Salinarum proventu celebris, ex quibus ingens candidi ſalis copia, onerariis Belgicis ac Germanicis in Septentrionales regiones quotidie aſportari ſolet. Oppidum ipſum flumine jam mari permixto & oſtio vicino alluitur à Meridionali parte, ubi æſtu recedente ſpatioſum & jucundum aſpectu littus efficitur, arena tenui & ſolida, nec veſtigio cedente, ita firmum, ut & pediti & equiti commodiſ-

modiſſima & gratiſſima exiſtat deambulatio. Ex oppoſita verò mœnium parte, oppido egredientibus occurrit pratum amœniſſimum, octingentis circiter paſſibus in longitudinem ac totidem in latitudinem patens, irriguis aquarum alveis, innumeris præterea hortis, pomariis, ſilvis, vineis, undique cinctum. Ager autem altiſſimis montibus clauditur, in quorum vertice *Palmella* conſpicitur, oppidum haud contemnendum, quod à copia mellis Polymellam olim dictum ſuſpicor. Horum montium aſpectus ſuaviſſimus eſt & maris proſpectui æquiparari poteſt. Diſtant enim à muris ſex tantummodo paſſuum millibus: multis villarum ædificiis & amœniſſimis hortis, fontiumque multitudine nobiles, præterea pinetis atque aliis arboribus conſiti. Arbuti etiam genus quoddam paſſim producunt, ex quo coccus colligitur

ligitur ad tingendam purpuram, Emeritenſi, quem Plinius laudat, non inferior. Unde non mediocre lucrum tenuioribus obvenire ſolet. Cæduntur etiam in omnibus illius promontorii jugis lapides, quos vulgus propter admirabilem pulchritudinem, colorumque varietatem, Jaſpides appellat, ex quibus muri ipſius urbis majori ex parte conſtant: quorum ambitus quadrata forma, tria fere paſſuum millia amplectitur, præter duo ſuburbia, in quibus non exigua hominum multitudo degit.

Urbis ædificia tam urbana quam ſuburbana, pulchra ac ſolida ſtructura conſtant, inter quæ multæ ſunt potentiorum ædes magnifice exſtructæ: ſed peculiari quodam ſplendore eminet nobilis & antiqua Cabediorum domus, verſus Septentrionem, juxta urbis murum, & in ipſis mœnibus ſumptuoſe ædificata.

II.

DE DVCATV BRAGANZÆ.

E Theatro Madriti.

INter magnates Portugalliæ excellit Dux Braganzæ, qui habet octuaginta quinque millia Vaſallorum, & belli tempore Regibus inſervivit cum viginti millibus armatorum. Obtinet unam civitatem & quadraginta & octo oppida, & plurimos pagos, & diſponit de quadraginta & quinque Commendis ut vocant Chriſti, & mille trecentis miniſtris Iuſtitiæ, multis præturis quæ ducentos & trecentos Cruſatos annuatim valent, & præſentat beneficia Eccleſiaſtica, quorum quædam valent duo millia, quædam duo millia & quingentos Cruſatos. habet quingentos domeſticos, magnam partem nobiles & annui ejus reditus aſcendunt ad centum & ſexaginta millia cruſatorum.

DE

III.

DE CIVITATE OLYSIPpone ex eodem.

OLyſippo eſt regnum per ſe, ad quam conveniunt variæ nationes ad commercia exercenda. Obtinet in longitudine duas leucas, à Conventu Belen, ad monaſterium S. Benedicti vetus: numerat ædes viginti & ſeptem mille, oppidanorum numerus numquam rite potuit ſubduci: Curioſi tamen numerarunt quingenties mille. Horti & prædia ſuperant ſeptem millia. Obtinet quadraginta parochias & 3388 fratres Sacramenti qui affuere proceſſioni corporis Chriſti anno 1619. quum Philippus tertius ibidem eſſet. Habet viginti & quatuor monaſteria religioſorum & in iis 1465 viros: Decem, & octo Conventus monialium, & in iis 1833. religioſas,

quatuor Xenodochia, unum Hoſpitale, & Domum miſericordiæ, in qua ann. 1618 ægri è variis morbis curati 11150: & pro bene meritis factæ ſunt miſſæ 28272. Ejus reditus nonnumquam aſcendunt ad triginta & quatuor mill. cruſator. Jungunt connubio Orphanos, redimunt captivos, auxiliantur pauperibus, & peregrinis: ſepeliunt defunctos in carcere & mari: abſolvunt debita incarceratorum ob æs alienum: denique non eſt quidquam ſimile videre in toto orbe Chriſtiano.

4. *De Soli qualitatibus.*

TErrarum bonitas etiam in fæcundiſſimis provinciis non ubique valet, ſed variat pro Soli conditione & fluviorum opportunitate; itaque hæc carptim nobis dicenda erunt. *Reſendius de Tago.*

Quod vero dicit Strabo, agrum circumcirca bonitate conſpicuũ,

ſcimus

ſcimus non ſolum eo loci, ſed ex utroque amnis latere, campos illos ad Tancos uſque limoſis inundationibus tam lætos ac fœcundos effici, ut ſimpliciſſima fereque nulla ratione triticum quidem & hordeum quinquageſimo ab ſatione die metatur, ſingulari terrarum omnium exemplo. Statimque in tenuieſcule aratis dicam an ſcalptis? milium ſeratur, ubero ocyſſimoque proventu, vel inter pauciſſimos à meſſe ſublata dies nullo ſatu, ſed ſponte ſeges regerminet, fœcunditate reſtibili. Ut quod de Erytheia contra Luſitaniam inſula, quæ nuſquam modo eſt, Mela tradidit, longe in his agris, amniciſque inſulis contingere copioſius experimenta demonſtrent, ſive frugum ubertas, ſive pabuli abundantia requiratur. Tale ingenium glebæ eſt, quam *Tagus* inundationibus lætificat, vereque dixit *Strabo: vicina Tago* *cete-*

ceterorum opulentiſſima ſunt oppida.

De Munda fluvio diximus c. 1. Agros (porro inquit Reſendius) fœcundat tritico, hordeo, ſecale, olyra, milio, panico, & præcipue lini magna copia tenuiſſimi, & cum quovis optimo conferendi.

De fertilitate Luſitaniæ, ita Reſendius lib. 11. Antiquitatum Luſitaniæ.

De hodierno hujus provinciæ cultu, deque ejus admirabili tum amœnitate tũ etiã omnis generis frugũ copia atq; ubertate, ſupervacaneum exiſtimo hic verba facere. Quæ autem antiquitus de ea re ſcriptores variis in locis tradiderunt, longum eſſet repetere. Unum tantum Athenæi teſtimonium adducam, ex quo facile conſtare poterit, quam fœcunda, fertilis ac felix regio hæc de qua agimus, ſemper habita fuerit. Is igitur lib. 8. Dipnoſophiſt. cap. 1. ita ſcribit.

bit. Ubi Luſitaniæ fertilitatem (eſt autem regio Iberiæ, quam Hiſpaniam Romani appellant) declarat Polybius Megapolitanus: omnium hominum optime Timocrates & ſcribit lib. Hiſtoriarum trigeſimo quarto, quod ibi ob optimam aeris temperiem animalia ſunt fœcunda atque homines; nec umquam fructus deſunt in ea regione: roſæ enim, albæque violæ, aſparagi, reſque ejuſmodi non deſunt per majus temporis ſpacium quam trium menſium. At marinum obſonium, quod ad multitudinem, bonitatem, pulchritudinemque ſpectat, maxime differt ab eo, quod eſt in noſtro mari. Nam & hordei ſiclus, qui medimnum continet, drachma venundatur, & tritici novem Alexandrinis obolis, vini metreta drachma; hædus mediocris, obolo: ſic & lepus: at agnus trium vel quatuor obolorum pretium eſſe conſue-

conſuevit. Sus qui ad centum librarum pondus accedat, quinque drachmis in cænas emitur, ovisque duabus, ac ficuum talentum tribus obolis emitur. Vitulus drachmis quinque, bos jugo aptus decem; ſilveſtrium vero animalium carnes, neque pretio quidem ullo dignæ putantur, ſed has inter ſe conferunt, benigneque admodum viciſſim largiuntur ac mutant.

Manifeſtatio juris, cur Regnum Portugalliæ obedientiam Regi Caſtellæ negaverit, & Sereniſſimum Regem Ioannem proclamaverit.

NOtiſſimum eſt, per mortem Regis Sebaſtiani, in infeliciſſimo prælio Africano, in regnum Portugalliæ ſucceſſiſſe Cardinalem Infantem Henricum illius patruum, filium Regis Emmanuelis ſui proavi; qui cũ ſe ſenem animadve-

adverteret, cum exigua ſpe longioris vitæ, juſſit vocari omnes Principes qui aliquam prætenſionem ad Regnum habere videbantur, ut, auditis ſingulorum rationibus, determinaret quis eſſet præferendus. Potentiſſimus illorum erat Philippus II Caſtellæ Rex, qui fidens ſuis viribus, & diffidens juri ſuo, magnum metum incuſſit animo Senis Regis Eccleſiaſtici, adeoque poſtulavit multis mediis, ut aut ſe ſucceſſorem declararet, aut nullum alium. Quod poſtremum obtinuit. nam quum Henricus haud diu ſupereſſet, per obitum ſuum reliquit cauſam indeciſam. Et licet nominaſſet Gubernatores cum poteſtate judicandi, non potuerunt iſti libere partes ſuas agere, quia potentia & diligentia Philippi illos perturbabat. Quum autem ſententiam denique ferrent pro ipſo, fuit notorie nulla, quia directe erat lata

con-

contra jus, in Ayamonte, oppido Caſtellæ, extra territorium Portugalliæ, metu magni exercitus, quem Rex coegerat, à quo merito violentiam timere cogebantur; neque tamen omnes ſententiam pronuntiarunt, nec major pars eorum quos Rex Henricus nominarat. Ratio hæc ſolummodo inita, ut locus daretur injuſtitiæ, qua Rex Philippus per vim ſatagebat Regnum occupare; *Sed nihilo ſecius*, omnes prudentes & extra ſtudium partium conſtituti agnovere, & tunc & ſemper, jus penes Dominam Catharinam eſſe uxorem Ducis Braganzæ Domini Joannis I. ejus nominis. Portugallia penitus collapſa & exhauſta amiſſo Rege ſuo Sebaſtiano, cæſa aut capta meliori & majori parte nobilitatis, & multorum ſubditorum per peſtem quæ ſecuta erat, non poterat reſiſtere, & violentiæ dedit locum. Philippus Rex non
ſolum

ſolum armis ſed & muneribus atque promiſſis multorum animos pervertit, & corrumpendo omnes, oppreſſum verum jus.

Erant plures prætendentes ſucceſſionem in Regnum, ſed jam non agemus de rationibus quas alii allegabant: quia ſolum propoſuimus nobis, oſtendere jus, quo nititur Sereniſſimus Rex Joannes, ad excludendum è Regno Philippum IV nepotem II. Nata eſt ſua Majeſtas, quam Deus cuſtodiat, è Sereniſſimo Domino Theodoſio, Duce Braganzæ II. ejus nominis, filio Dominæ Catharinæ, quę nata fuit Infantis Domini Eduardi, filii Regis Emmanuelis; cujus etiam gnata fuit Infans Imperatrix Domina Iſabella mater Philippi II. cognatus è germano Dominæ Catharinæ & ambo ſobrini defuncti Regis Henrici, liberi ſuorum germanorum. Domina Catharina erat filia ma-

ſculi, Philippus fœminæ; illa agnata, hic cognatus: illa matrimonio juncta Duci Joanni, maſculo ejuſdem familiæ Regum Portugalliæ, deſcendentis per maſculum à primo Duce Alfonſo, filio legitimato Regis Joannis I. & per fœminam à Domina Iſabella, uxore Ducis Ferdinandi II. filia Infantis Domini Ferdinandi. Erat, præterea, Domina Catherina nata in Regno, Philippus extraneus, natus extra illud: licet itaque mater eſſet Portugalla, Conſtitutio ſolummodo concedit liberis patrũ Portugallorum & certis conditionibus privilegium naturaliſationis.

His præſtitutis, quæ omnibus notiſſima ſunt, aggredimur hunc diſcurſum, indicando ſolummodo fundamenta juris ſuæ Majeſtatis, quæ rem manifeſtam reddent, etiamſi argumenta non formentur; neque dubito, quin omnes ad quos hoc ſcriptum perveniet,

faci-

facile id per ſe ſint facturi. Et cum duo ſint modi ſuccedendi, unus qui dicitur *Iure ſanguinis*, alter *Iure hæreditario*, videndum quonam horum in Regna ſuccedatur. Ultimus eſt qui obſervatur in hæreditamentis abIntestato;& quum hic ſit primus in mundo cognitus, ſecundum primitivum jus gentium; & ab antiquiſſimo tempore ita in Regnis fuerit ſucceſſum, manifeſtum eſt illum in Succeſſione ipſius eſſe obſervandum, quando non aliter per ſpecialem legem fuerit cautum. Et licet introducti ſint alii modi ſuccedendi, quales ſunt primogenituræ & feudales, poſteriores ſunt jam in Regnis recepti, & conſtituti ob fines particulares, & non eſt fas propterea variare in Regnis quod prius erat conſtitutum, aut iſtos admittere neceſſe populum & Reges, qui ſoli authoritatem obtinent antiquam conſuetudinem mutandi.

Hæc concluſio eſt certa, & quia illam admittunt etiam ii qui nobis contradicunt, non eſt neceſſarium illam confirmare. Suppoſita illa: ſimulque hæreditatem Regnorum eſſe indiviſibilem, & quæ debeat venire ad unam perſonam, quæ inter plures prætendentes quærenda eſt è meliori linea: itidem certum eſt Dominæ Catharinæ potiorem eſſe, quam Regis Philippi; quia Infans Dominus Eduardus illius pater, ſi vixiſſet, excluderet uti maſculus Imperatricem Dominã Iſabellam. Verum tamen potentia Regis pro juſta cauſa vult introducere, ſe debuiſſe, uti maſculum, præcedere Dominam Catharinam dignitate ſexus, licet non præcederet per lineam.

Oppreſſit hoc, ſed non obſcuravit jus, quia in hæreditatibus, quæ adeuntur ab inteſtato, certum eſt, leges concedere beneficium repræſentationis, ut nimirum liberi

beri cenſeantur eædem perſonæ, quæ patres ad ſuccedendum in ea in quæ illi ſucceſſiſſent ſi viverent, & excludendum eos quos illi exclusiſſent; atque ita ſolum potior linea conſideranda eſt. Nihil in Regnis ſpecialiter cautum quod contradicat, quominus in ſucceſſione illorum ſervari debeat quod ſervatur in aliis hæreditatibus, uti communiter tenent Doctores. In aliis Regnis ſententia lata fuit, juxta hanc doctrinam in caſibus obviis. In Francia, in Anglia, in Hungaria, in Arragonia, atque adeo in ipſo Ducatu Braganzæ. Lex Caſtellæ, quam vocant *Da partida*, idem ſupponit, uti antiquam conſuetudinem Hiſpaniæ, ſtatuitque nepotem ultimi poſſidentis, filium filii majoris natu, præcedere ſecundum filium. Joannes Rex Portugalliæ, teſtamento ſuo conſtituit, quod deficiente Principe Eduardo ſe ſuperſtite, ſucce-

cederet nepos ſuus, præferens illum cæteris filiis. Rex Alfonſus V. itidem diſpoſuit, ut Regnum veniret ad nepotem, filium Domini Joannis II. licet ipſe alios filios ex excellentiſſima Domina ſuſtuliſſet.

In Regnis Hiſpaniæ, ubi fæminæ hæreditatem capere poſſunt, dubium eſſe non poteſt, gaudere beneficio repræſentationis æque ac maſculi: & conſtitutas in potiori linea debere excludere etiam maſculos in alia conſtitutos. Hoc beneficium ipſis concedendũ admittunt communiter omnes Doctores, fundantes in eo quod Jus loquatur indiſtinctim ſine limitatione ad maſculos: & quum jus non diſtinguat, nec nos poſſumus diſtinguere: præcipue cum ſciamus liberos repræſentare qualitates parentum, quas ipſi non habent, nimirum majorem ætatem: eadem ratione etiam fœminæ poſ-

poſſunt repræſentare virilitatem (ut ita dicamus) in hæreditate, quæ non excludit ſexum: maxime quum ipſa matrimonio juncta fuerit cum maſculo ejuſdem familiæ & ſanguinis, uti diximus, Domina Catharina.

Leges Caſtellæ ſtatuunt, majore natu filio decedente antequam hæreditatem adierit, ſi relinquat filium aut filiam, venit ad illos hæreditas, non ad patruũ. Alphonſus V. Portugalliæ Rex mandavit, ut filii aut filiæ Principis Joannis hæreditatem caperent, & non quos forte tollere poſſet ex excellente Domina. Ferdinandus primus Rex Neapolitanus ſententiam tulit pro nepte ſua, filia primogeniti ſui, cum excluſione ſecundogeniti ſui. Rex Angliæ judicavit ſobrinam Ducis Britanniæ, filiam fratris majoris natu præcedere debere, fratrem defuncti minorem natu, Itaque; quum hære-

ditas Regnorum deferenda ſit, uti aliarum in quibus ſucceditur ab inteſtato: & repræſentatio admittatur uſque ad ſecundum gradum; & fœminæ juxta ac mares eo beneficio gaudeant, non poteſt eſſe dubium, Dominam Catharinam in meliori linea conſtitutã, quam erat Philippus II, fuiſſe legitimam & veram ſuccedentem Regis Henrici patrui ſui ad Coronam Portugalliæ, & ab ipſa idem jus derivatum ad Sereniſſimum Regem Joannen IV, Dominum noſtrum, quem Deus tueatur.

Tanta eſt vis veritatis & juſtitiæ, ut arguant continuo conſcientiam; quæ cum ſibi ſatisfacere non poteſt, quærit prætextus & velamenta quibus operiat & diſſimulet injuſtitiam ſuam. Erant hæ rationes valde pungentes, & notum erat Doctos & orbem totum non ignorare jus Regis noſtri uti oportebat, & oculos totius Portugalliæ

in illũ defixos eſſe. Quare conſultum ipſis viſum, librum Antvverpiæ excudendum curare ſub nomine fratris cujuſdam Ciſtertienſis, volentes ut ſe nominaret Fr. Joannem de Caramuel, ad demonſtrandum jus quod Philippus (quem vocant Prudentem) habet dominium hujus Regni ſibi arrogandi. Divagatur author per omnes actus qui conſiderari poſſunt à prima fundatione Portugalliæ tempore Domini Alfonſi Henricidæ; conaturque probare, ſanctum iſtum Monarcham regnum invaſiſſe per violentiam & ſine jure. Idem dicit de Joanne I. Verum quum brevitas requiſita in Manifeſto non poſſit capere reſponſum ad ea quæ concernunt utrumque hunc Regem, reſervabitur ad aliud opus, in quo abunde ſatisfiet. Nunc tantum ſummarie reſpondebimus ad ea quæ opponuntur contra jus Dominę Catharinæ,

rinæ, & quidem quam breviſſime.

Principalis ejus conatus eſt oſtendere in ſucceſſione Regnorum non eſſe admittendam repræſentationem: idque probat duobus exemplis; uno ex Hiſpania, in quo D. Alfonſus Sapiens excludens nepotem, jurisjurandum fecit præſtari ſecundogenito: altero è Sicilia, ubi Bonifafacius VIII (uti dicit) pronuntiavit ſententiam in favorem ſecundi filii Regis defuncti, privando filium primogeniti hæreditate. Horum exemplorum primum favet plurimum noſtro juri; ſecundum nequaquam adverſatur. Verum eſt, Sapientem excluſiſſe nepotem; ſed haud minus verum, hoc illius factum univerſaliter in Hiſpania judicatum fuiſſe injuſtum, ut ſcribunt meliores authores, qui huic injuſtitiæ attribuunt, quod Deus permiſerit, à ſecundo genito hoc quêm contra juſtitiam

ſucceſ-

ſucceſſorem ſuum jurari voluerat, patrem regno poſtea privari. Et exemplum hoc pro injuſto agnitum fuiſſe favet utique nobis. Concedimus quoque, Reges Dionyſium Portugalliæ & Jacobum Arragonum, litem compoſuiſſe, quam habebant ob hanc cauſam cum Rege Ferdinando, alii prætendentes, relinquentes ipſi; verum negamus illud feciſſe per judicium; quia liquet tantum feciſſe per amicam compoſitionē; ſcientes non ſupereſſe aliud remedium ad publicam Hiſpaniæ pacem, (quam par erat omnibus particularibus juribus præferre) conſervandam.

Quod in Sicilia judicatum fuit (ſi modo certum eſt) nihil contra nos facit: quia Regnum illud uti feudale Eccleſiæ, ſequetur aut ordinem inveſtituræ aut jus Pontificium, quod nequaquam ſe extendit quoad ſucceſſionem in cætera

rinæ, & quidem quam breviſſime.

Principalis ejus conatus eſt oſtendere in ſucceſſione Regnorum non eſſe admittendam repræſentationem: idque probat duobus exemplis; uno ex Hiſpania, in quo D. Alfonſus Sapiens excludens nepotem, jurisjurandum fecit præſtari ſecundogenito: altero è Sicilia, ubi Bonifafacius VIII (uti dicit) pronuntiavit ſententiam in favorem ſecundi filii Regis defuncti, privando filium primogeniti hæreditate. Horum exemplorum primum favet plurimum noſtro juri; ſecundum nequaquàm adverſatur. Verum eſt, Sapientem excluſiſſe nepotem; ſed haud minus verum, hoc illius factum univerſaliter in Hiſpania judicatum fuiſſe injuſtum, ut ſcribunt meliores authores, qui huic injuſtitiæ attribuunt, quod Deus permiſerit, à ſecundo genito hoc quêm contra juſtitiam

ſucceſ-

ſucceſſorem ſuum jurari voluerat, patrem regno poſtea privari. Et exemplum hoc pro injuſto agnitum fuiſſe favet utique nobis. Concedimus quoque, Reges Dionyſium Portugalliæ & Jacobum Arragonum, litem compoſuiſſe, quam habebant ob hanc cauſam cum Rege Ferdinando, alii prætendentes, relinquentes ipſi; verum negamus illud feciſſe per judicium; quia liquet tantum feciſſe per amicam compoſitionẽ; ſcientes non ſupereſſe aliud remedium ad publicam Hiſpaniæ pacem, (quam par erat omnibus particularibus juribus præferre) conſervandam.

Quod in Sicilia judicatum fuit (ſi modo certum eſt) nihil contra nos facit: quia Regnum illud uti feudale Eccleſiæ, ſequetur aut ordinem inveſtituræ aut jus Pontificium, quod nequaquam ſe extendit quoad ſucceſſionem in cætera

Regna: Portugalliæ Regnum eſt liberum, & in caſibus de quibus Statuta ejus non diſponunt, utitur jure communi: & ſiquidem iſtud admittit repræſentationem, manifeſtum eſt nos eam quoque admittere debere; maxime quia è dictis caſibus conſtat, Reges agnoviſſe ſe illud debere admittere.

Pugnat quoque Caramuel rationibus, & dicit, repræſentationem eſſe privilegium & reliquias juris, introducti ſolummodo propter hæreditates & non poſſe extendi ad ſucceſſiones Regnorum. Id aliquas vires haberet, ſi Regna non eſſent quoque hæreditates ultimi poſſeſſoris: at quum certum ſit eſſe, & tam certum, ut Regna ſemper tranſierint ad ſucceſſores, cum omni onere hæreditatis, nec liberum eſſe acceptare Regnum & repudiare onera, manifeſtum eſt non per extenſionem, ſed per comprehenſionē ipſis attribuen-

das

das eſſe qualitates & ordinē quib⁹ ſucceditur in aliis hæreditatibus.

Quinetiam argumentatur è verbis quarundam curiarum, quæ celebratæ fuere Lameci tempore Regis Alfonſi Henricidæ: in quibus quum agererur quo pacto ſuccedere oporteret in Regnum, ſtatuitur, ſi primogenitus moreretur vivente patre, adeat Regnum ſecundus, & tertius & quartus &c. & ex eo vult deducere, repræſentationem non habere locum in noſtro Regno: ſed fallitur, quia iſta Statuta non dicunt, ſi primogenitus moriatur, relinquens liberos, hæreditatem adeat ſecundus; nam ſi hoc voluiſſent, utique declaraſſent. Agunt ſolum de ordine filiorum, ſicuti ante loquuti erant de filiis, nepotibus & pronepotibus, ſecundum prælationem graduum; & reliquerant intactum in caſu prælationis ſobrini præ patruo: & uti omiſſum relinquitur

quitur diſpoſitioni juris, quod admittit repræſentationem. Melius argumentaretur Caramuel ex illis Statutis, Dominum Philippum non poſſe eſſe hæredem, utpote extraneum, quia excludunt extraneos.

Prætendit quoque argumentari ex noſtra conſtitutione, quæ repræſentationem abrogat ad ſuccedendum in bona Coronæ, & vult idem ſervari debere in ipſa. Sed non eſt bona conſequentia, quia in bona Coronæ ſucceditur, *ex conceſſione Dominica*, & non poteſt excedi illud quod Reges quoad illud diſpoſuerunt. In Regnum ſucceditur, *jure hæreditario* quod multum differt, & exempla jam dicta evincunt, Reges in ſua ſucceſſione agnoviſſe, repræſentationem eſſe admittendam.

Inſtat porro dicendo, titulum quoq; regnandi eſſe, *ex conceſſione dominica*, quia procedit à populis,

lis, quibus eam dederunt Reges noſtri. Ratio frivola eſt, quia populus omne jus ſuum Regibus ceſſit, nec ſibi reſervavit aliquam diſpoſitionem in modo ſuccedendi: & Reges in bonis Coronæ determinarunt modum quo debeant transferri: Et ſi hæc inſtantia valeret, applicari poſſet ad omnia Regna & non ſolum ad Regnum Portugalliæ: Verum per exempla producta conſtat eſſe falſam, & in aliis regnis obſervari repræſentationem.

Vult præterea beneficium repræſentationis habere locum in hæreditatibus diviſibilibus, & non in primogenituris; inquiens, æquitatem, quæ introduxit ut nepotes partem hæreditatis caperent cum patruis, futuram eſſe iniquam ſi illos excluderet, illis magis proximis exiſtentibus ultimo poſſeſſori, & non valentibus capere quid in hæreditate individua,

quæ

quæ tota vadit ad ſobrinum. Sed hoc fundamentũ eſt falſum, quia, ſicuti ille fatetur; magis communis opinio eſt, in primogenituris dari repræſentationem, & in hoc Regno eſt in uſu. Et etiamſi ita non eſſet, non evinceretur idem in Regno debere obtinere, quia primogenituræ (vulgo Morgados) deferuntur *jure ſanguinis*, & Regna, *jure hæreditario*, uti probavimus, & iſte author ipſe agnoſcit.

Iſtud jus, quod docti poſſunt ampliare & confirmare, eſt antiquum illud quod Principes familiæ Brigantinæ receperunt cum ſanguine ab Infante Domino Eduardo: & non poteſt ei obviam ire præſcriptio, quia in Regnis non admittitur, nec quod obedientiam præſtitere imperio Regum Caſtellæ, quia ſiquidem in illo intervenit vis & violentia, manifeſtum eſt, tolerantiam non poſſe juri præjudicare.

Por-

Porro in Rege, Domino noſtro, inſuper conſiderandus irrefragabilis titulus ex concordi & voluntaria Regni acclamatione. Quia, cum certum ſit poſt Regum mortem diſſidio exiſtente quis agnatorum admittendus ſit ad Coronam, ad populum deciſionem hanc ſpectare, qui primo id tranſtulit ad Reges, & poſtea poteſt dare, declarando dubia quæ inde oriuntur: Portugalliȩ populus ſolus utique poterat determinare cauſam, quam Rex Henricus reliquerat indeciſam per mortem ſuam; & quum ſententia quam tulerant Gubernatores ob cauſas jam dictas, nullum vigorem habeat, ſemper populo licuit Regem declarare, & violentia Philippi nequaquam potuerit impedire, ſed potius conſervarit, quia tenuit Regnum præſidiis & violenter, eoque fecit, ne curreret tempus, in quo non poſſent ſe

commode declarare:& quum jam potuerint facere & fecerint, acclamantes ſuam Majeſtatem, (quam Deus conſervet) eo ipſo actu declarantes manifeſtum jus ſuum, non eſt dubium quin adierit Regnum titulo maxime legitimo, ſiquidem ſuper jus, quod habebat, acceſſit declaratio populi facta tempore, quo occaſiones permittebant.

Ad hæc argumenta petita è jure & legibus, poſſemus adjungere aliud morale, non exigui momenti, ſi diſcurreremus per rerum ſtatum in Monarchia Hiſpaniæ poſt injuſtam Portugalliæ uſurpationem. Nam ſi rogaremus Coronas Caſtellæ & Arragoniæ, quomodo ſe haberent? reſponderent, ſe eſſe triſtes & afflictas, & incurvatas ſub exceſſivo onere, & moleſto jugo tributorum, quæ illas continuo conſumunt & diſſipant; oppida ſua ſine populo, commercia ſua extin-

extincta, opes diminutas, plebes & Nobiles deſpectos & haud ſecus quam mancipia habitos; ſolum deglubi ſe ab eo, quem elegerant Regem ad conſervandum ſe & amplificandum. Alia extra Hiſpaniam Regna eandem patiuntur calamitatem; tanto quidem minorem quo remotiora ſunt; illuſtri indicio, malum procedere à cauſa inhærente. Belgium, patrimonium horum Monarcharum, armis eorum non potuit ſubjugari: & in iſtis provinciis & alibi geſſerunt continua bella, quæ cum gravi perditione opum illos conſumſerunt. Auri atque Argenti flumina, quę Indiæ emiſerunt, tam multis annis in ipſius plagas, & immenſæ divitiæ petitæ & allatæ è remotiſſimis orbis partibus, haud ſuffecere ad numiſma uſitatum illis dandum, ſed neceſſarium fuit è vili ære cudere. Belli ſucceſſus, etiam proſperi, expenſas illorum

augebant, quia ipſos magis affligebant quam nationes; & quovis modo ſemper perdebant. Coronarum magnus numerus quem collegerunt, quum potentiam eorum augere debuiſſent, eos debilitarunt, dantes occaſionem conſumendis Theſauris, ut conſervarent quæ ambitioſe acquiſiverunt. Et quum tanta potentia in terra & in mari, tanta auri & argenti metalla, tanta aliarum rerum opulentia, nequaquam conveniunt cum tantis damnis & tanta ærarii inopia, omnino nobis quærendæ ſunt cauſæ ſuperiores, & præter illas ob quas divinum brachium communiter Monarchias ſolet caſtigare. Et quum ſciamus iſtos Principes ſemper fuiſſe valde Catholicos, & ad eundem modum illorum ſubditos, non poſſumus caſtigationes illas defectui fidei aſcribere; ſolumque referre debemus acceptas Injuſtitiæ, qua Re-

gnum hoc uſurpavere, & ita irritarunt Juſtitiam divinam, ut illos perfrui haud ſineret, neque ſuo, neque alieno.

Atque hæc quidem ſuffecerint è Manifeſto quoad jus; ſequuntur in eodem cauſæ aliæ quæ Portugallos permoverunt ad jugum Caſtellanum excutiendum: quas compendii ratio non patitur hic attexi.

6.

PORTUGALLIÆ
Parænesis ad Principes Chriſtianos.

NOn eſt res ulla inter mortales magis expoſita varietati fortunæ, quam imperia. Quodvis accidens Status illa inquietat, quivis motus publicus illa convertit; ad imitationem corporis humani, naſcuntur, adoleſcunt, moriuntur; & patiuntur æque labores, afflictiones & miſerias, quibus

fragilitas vitæ conſtat. Exempla, magiſteria actionum humanarum, faciunt fidem: certe ſtupere neceſſe eſt mundum, ea quę Ulyſſipone acciderunt primo die Decembris præteriti anni clↄ Iↄ cxl: caſum, qui licet fatalis videatur, & raro obſervatus in Europa, tamen ita diſpoſitum à prudentia, ita prędictum à ſapientibus & Dei ſervis, & à divina manu adjutum, ut merito ab omnibus myſterioſus debeat judicari. Verum eſt, ne montes Pyreneos egrediamur, invenire nos ob leviores cauſas cæſos Principes legitimos & nothos admiſſos, ad communem patriæ defenſionem & ſalutem publicam, quæ potentiſſimæ cauſæ ſunt iſtarum mutationum: nec Portugalli earum expertes fuerunt, quoniam aliquando conſervandæ Reipubl. cauſa (tantum ſemper potuit in animis eorum patriæ amor) elegerunt Principem ſui ſanguinis;

quod

quod poſtea demonſtravit veritatem illius convenientiæ, nihilque æque valere in Monarchiis, quam Regem indigenam, quaſi ſummum bonum, è cœlo derivatum, & à Deo approbatum in Deuteronomio.

Fuere ſane Portugalli ſemper amantiſſimi Principum ſuorum, & viciſſim ab ipſis redamati, ſiquidem illos regebant magis ut patres ſolent filios, quam ut Reges, Vaſallos; occurrebant ſibi invicem amor & obſequium, & Majeſtati, obedientia; & per hanc harmoniam & conſonantiam utrimque ſatisfiebat querelis publicis, & æquali vigilantia adferebatur remedium. Perdidere denique cum imperio primum, deinceps quia Principes uti alieni minus favebant, confidentiam illam alloquendi & admonendi, è filiis primum Vaſalli facti, mox & mancipia. Verum conſtantia obſequii

ſuadebat tolerare injurias, ſilere offenſas, pati inſolentias, forte cum detrimento ſanguinis ſui & honoris ſui ſuggillatione, ne aliquam labem afferrent fidelitati ſuæ, quam ex animo, & quantum poſſent, obſtrinxerant. Attamen habet patientia humana ſuos limites, & ſi violentiam ſuſtineat, reſilit, inſtar vaſis, quod plenum diffunditur: ita tolerantia expugnata convertit diſſimulationem in impetum, & obſequium in deſperationem; hiſce quippe ſublatis, Nobilitas hujus Regni temeritate laudabili adhibuit remedia damnis publicis, quæ patiebantur: cædendo propriis manibus *Michaelem de Vaſconcelos & Brito*, Secretarium Status, utpote miniſtrum qui maxime è proximo tyrannidem exercebat: non ut ſanguine fundarent imperia, quæ ſemper minus durant; nec ſtimulati odio aut vindictæ cupiditate particu-
lari,

lari, ſed ut ſatisfacerent ejus cæde indignationi populi, quæ clamoribus petebat è cœlo, ut liberari poſſet à violentia immoderata, qua illum opprimebat, hoc fortunæ monſtrum, cui Rex Catholicus, aut potius ejus confidentiſſimus miniſter, licet inidoneo, omne regimen hujus Coronæ tradiderat.

Occupabatur in ſimili officio, Madriti in Caſtella, ſimilis moribus, *Didacus Xuares* gener ejus & cognatus: (quippe ut confidentiam ſecreti in iis quæ inſolenter agebant augerent, etiam affinitatis vincula duplicaverant:) vir qui dexteritate quadam & obſequiis irrepſit in gratiam Comitis Ducis, & majorem familiaritatem quam famæ illius convenit; Et quum hi eſſent veluti aquæductus per quem afflictiones noſtræ labebantur; utrique (nec erat qui reſiſteret) dominabantur affectibus Principis

cipis ſecundo loco, quos torquebant & exſequebantur ſecundum ſuã malitiam, inficiendo aures regales & virus ſuum eis inſtillantes, viam moliendo ad extinguendum Nobilitatem Portugallię; & quum eſſent proditores Regis ſui, mox etiam patriæ, proponebant nullum marmor Portugallicum ſine nota tyrannidis relinquere. Adeo ut ne altaribus quidem parcerent, ſed ſumta audacia ab authoritate qua pollebant ſub diverſis prætextibus auſi ſunt illa profanare. Cenſuræ Eccleſiaſticæ, quæ cuivis Catholico formidabiles eſſe debuerant, quatenus divinæ, neglectæ & ludibrio habitæ, ſolummodo ut cauſam tuerentur, quam conſciverant, publicum facientes quod erat privatum, aſtute: Unde nata tot interdicta, tam impedita, tot ſcrupuli conſcientiarum & opiniones, ut neceſſarium fuerit univerſam pietatem Chriſtianam,

quam

quam gens Portugallica inde à ſui origine profeſſa eſt, in ſubſidium vocare, ne deluderentur.

Patiebatur ſimul Juſtitia commutativa & diſtributiva, venales factæ authoritate Regis; quod eſt ultimum malorum publicorum: quando enim Majeſtas corrumpi ſe ſuſtinet pecunia, non abnuet licentiam dare peccandi, & vendit libertatem malis, quos leges ſtudent frenare metu pœnarum, ſicuti bonos excitare præmiis. Hi duo veluti poli perennaturi imperii, ad eum modum vacillarant & defecerant, ut probi, ſapientes, fortes, verę columnæ regnorum & beneficiorum principalium poſſeſſores haud ſecus haberentur quam viles atque inopes, & non raro pro præmio pœnam aut indignationem auferrent. Denique quum trium ordinum, eccleſiaſticus Simoniæ involutus, Nobilitas deſpecta & plebs oneribus oppreſſa eſſet, cuncti-

cunctique tributis exhauſti, ad ultimam deſperationem ventum; Rege tamen ante præmonito, & certis capitulis querelarum oblatis, quæ ſemper ingratæ Principibus, quorum aures adulatione & fraudibus obſtipatæ ſunt.

Juſtitia itaq; divina irritata tantis offenſis quæ permittebantur in regno, quod jure Apoſtolicum dixeris, ſiquidem ejus opera Euangelium in remotiſſimis Mundi partibus prædicatum, depluit plagas ſuper miſeros Portugallos, ita ut bonam partem eorum perderent, quæ tanta ſanguinis jactura acquiſiverant: & denique vita, honor, opes in ultimum diſcrimen adducta per donativa, vectigalia, tributa, tanta, tam varia, tam crebra, tamque gravia, ut auſim affirmare hujus regnantis temporibus exceſſiſſe omnium Regum Portugalliæ qui ante regnarunt; neque enim modus in exigendo tenebant-

nebatur, ſed omnia per exceſſum regebantur.

Rex interea Philippus IV quaſi remedium allaturus anno cIɔ Iɔc. xxxviii vocavit Prælatos & Magnates Regni; quumq; Madritum veniſſent & beneficia atque favorem à Rege expectarent pro obſequiis & ex dignitate, indigne ſunt habiti; longo tempore illis celatum cur convocati eſſent, ita ut Prælati abeſſent ab Eccleſiis ſuis, contra divinum mandatum, Canones Conciliorum, brevia Apoſtolica & admonitiones ſuæ Sanctitatis. Poſt multos menſes uno die atque una hora ſubjecit illos pedibus miniſtrorum Caſtellanorum, tanquam reos, examinandos de culpis alienis, quæ deinceps tanquam propriæ habitæ, & in publico conventu coram tribus Cardinalibus, in Domicilio Comitis Ducis, iis ſententia damnationis prælecta eſt, quæ communi aſ-

ſenſu

ſenſu Monarchiæ offenſæ & ſcandaliſatæ; omnes univerſim offendit, ſiquidem quaſi promta obedientia crimen fuiſſet quam iſti miniſtri adhibuerant, afflixerunt illos pœnis & exilio à domibus ſuis & patria, ſine differentia ætatis, aut obſequiorum, demonſtrantes ſe de fidelitate omnium dubitare, & nobilitatem infamantes quaſi auctores tumultus, qui ante anno XXXVII in civitate Eboræ exortus fuerat, quum tantum murmur populare fuiſſet, & præmonitum divinum eorum quæ præparabat ad remedium afferendum hujus regni miſeriis, Intenti enim in hanc perſecutionem, in ſuis colloquiis & deliberationibus, & ſcriptis Chroniſtarum, & voce principalis Miniſtri & ejus amicorum haud aliter appellabantur Portugalli quam perduelles; quum ſemper fideliſſimi legitimis ſuis principibus fuiſſent: hoc unum agentes,

ut illos non modo Regi & mundo ſuſpectos redderent, ſed regnum everterent, & in provinciam redigerent, & paucuJas opes quæ adhuc ſupererant adimerent, & gentem per crebros delectus exhaurirent, & peregrinas terras populo implerent, conculcatis privilegiis, legibus, nihilque in antiquo ſtatu relinquentes. Pertæſos jam eorum quæ paſſi fueramus, & offenſos quod patientia noſtra abuterentur ad exitium noſtrum quod deſiderabant, & intendebant perficere, quum nobiliſſimi & fortiſſimi Catalani ad juſtam ſui defenſionem arma cepiſſent, ſategerunt nos perdere, vocavitque majeſtas ſua Catholica per blandas litteras, omnem nobilitatem, ut ipſum comitaretur in exercitu quem contra illum principatum cogebat, & hoc pacto nos è patria eliminare: quum ratio poſtularet, nos ante vitã prodigere, quam auxilium ferre contra

tra tam illuſtrem nationem & in tam laudabili conatu, cum qua Portugalli connubia & ſocietatem habuerant, & Principes dando & Principiſſas recipiendo. Conſtat de hoc conſilio è litteris, quæ repertæ ſunt in ſcriniis Michaelis de Vaſconcello, uti & de aliis perſecutionibus, quæ parabantur in opprobrium & exitium honoris & fortunarum noſtrarum. Excitati itaque ſumus è profundo lethargo, quo oppreſſi fueramus & veluti ſepulti; & commodum admonebat vox divina, quæ eo ipſo die quo hæc agebantur, non ſine myſterio, exhortabatur fideles per Apoſtolum Paulum, jam tempus eſſe expergiſci ad recipiendum Regem Regum, qui proximo die venturus erat ad univerſale judicium gentium, abominationibus Antichriſti procedentibus, quæ ex parte valde ſimiles erant eis miſeriis quas paſſi ſumus

per

per infernales miniſtros, exitus noſtri deſtinati inſtrumenta.

Nobiles qui deſtinato conſilio illum cæciderant (qui numerum quadraginta non exceſſerunt) ingreſſi Palatium, brevi oratione alloquuti ſunt Dominam Principem & Duciſſam Parmenſem, ea ſubmiſſione & veneratione quæ ejus natalibus & virtutibus debebatur, & propoſuere jam Regem acclamatum eſſe Dominum Joannem octavum Braganzæ Ducem, nepotem Dom. Catharinæ, hæredis horum Regnorum, ut pote filiæ Eduardi, filii Regis Emmanuelis: Non ſolum propter jus hoc infallibile, ſed vel potiſſimum propter virtutē; annos jam agentem XXXVII trium filiorum (quæ ſunt munimenta imperii) parentem, fortem, juſtum, liberalem, tam parum ambitioſum, ut pene ad coronam accipiendam cogi oportuerit, quæ ad eum tam juſtis

titulis pertinet, ut magis reſtituta quam tradita cenſeri debeat.

Civitas & reliqui ſtatus fide præſtita, elegerunt aliquot qui interea dum hæc Regi nunciantur, qui erat Villæ vicioſæ, domicilio illorum principum, res moderarentur. Hic adhuc magis patuit, Dei brachium eſſe quod dirigebat hoc imperium; nam quum ſimiles actiones per ſe origines ſint multorum malorum, & occaſiones multarum cædium, (unoquoque exitio inimici ſui inhiante) unius Secretarii cæde tranquillata eſt civitas univerſa, ita ut poſt duas horas nullus inſtitor officinam ſuam relinqueret, & minores cũ majoribus, inopes cum opulentis, vulgus cum nobilitate optime congruerent: tantaque unitas animorum fuit (mirum & novum inter Portugallos) ut multi ultro inimicitias deponerent & ſibi invicem reconciliarentur. Acceſſit & mira-

racu-

raculum; Archiepiſcopo Ulyſſipponenſi Prælato magnæ virtutis & eruditionis, accurrente ad Curiam ut novum Regem ſalutaret, cum cruce metropolitana, ut moris eſt, & prætergradiente ædiculam Antonii, Sancti Portugalli Ulyſſipponenſis, ejuſque auxilium implorante, dexteræ Chriſti excidit clavus, ita ut ſe inclinaret: Viſa omnibus res ſupernaturalis & omen tutelæ, quam Deus huic Regno promittebat, reſtituendo illi Principem nativum, eis virtutibus præditum, quibus opus eſt ad reſtituendam miſeram conditionem Portugallorum. Ad hæc non ſolum ſingularis concordia in hac actione eluxit, ſed & taciturnitas, ſiquidem & diu tenuit deliberatio, multique ejus conſilii conſcii fuerunt, atque adeo fœminæ haud facile ſecreti retinentes; in quo & manifeſte patuit cauſas ſuperiores agere; præſertim cum totius Re-

tudinis, ſiquidem illa ſunt quæ mutant ſtatus, dividunt dominia, evertunt imperia. Ita teſtatur Spiritus S. qui falli non poteſt. Tu tibi Domine infeſtiſſimus hoſtis fuiſti: nullum regnum ſubſiſtere poteſt ſine pietate & juſtitia: tot bella geſta contra Catholicos: toties repugnatum ſedi Apoſtolicæ; ejuſque mandata aliter interpretata; perverſæ leges, oppreſſi probi, mali exaltati; denique tot mali ſucceſſus conſequuti; quem tandem finem erant habituri? Supra omnia poſſidere provincias, regna aliena, titulo convenientiæ, non rationis & juris.

Jus gentium diſtinxit Dominia, & poſtea populi, quum ſibi Principes particulares elegerunt qui ipſos in pace & juſtitia gubernarent, hanc diſtinctionem probarunt. Numquam Monarchiæ grandes quæ conſtabant è dominiis alienis perennarunt: Ipſa ty-

rannis quæ illas aggregaverat, rurſus diſſolvit, Deo juſte puniente ſuperbiam, quod ipſum non agnoverunt Dominum univerſi, à cujus manu & nutu pendent imperia. Ad hunc modum vidimus maximas earum concidiſſe: tam facile, ut vox paſtoris exulis, quem Dominus tyranno veluti Deum conſtituit, ſuffecerit ad populum ipſius liberandum è ſervitute quam tot annos toleraverant: idem pene paſſum annis LX regnum Portugalliæ per deſpoticum regimen Regis Caſtellæ. Philippus prudens avus tuus, jus conſtituens in armis, juſtitiam in potentia (politica ſolorum Tyrannorum) ſuffodiens promiſſis & muneribus animos Portugallorum dejectos amiſſo Rege ſuo, & ſubtrahens ſe judicio ad quod legitime citatus erat ab Rege Cardinale Henrico, quemadmodum & cæteri prætendentes; volens in hac controverſia eſſe

& pars

& pars & judex & arbiter; Dominum ſe fecit hujus regni manu armata, cum ſumma violentia ſibi ſumens quæ erant aliorum, utpote potentior, nullam aliam dans rationem quam doctorum ſuorum judicium, qui ſentiebant ut ſupremum Principem capere poſſe ex authoritate, ſine alterius judicis interventu, cui non erat ſubjectus. Eadem ratio, Rex Catholice, nunc favet cauſæ præſenti Sereniſſ. Regis Joannis Domini noſtri, ſiquidem habens in ſui juris favorem, ſententias & judicia maximorum Theologorum & Juriſprudentum Hiſpaniæ, poteſt ad eundem modum capere poſſeſſionem horum regnorum, vi armata & propria authoritate (lite quamvis indeciſa) uti fecit avus tuus, & eximendo ſe armis à violentia quam illo tempore paſſus erat à Caſtellanis, quorum potentiæ regia ipſius familia cedere coacta fuerat ut pote imbecil-

becillior, licet de juris ſui evidentia proteſtaretur, quam omnes Principes extra ſtudium partium conſtituti ſemper agnoverunt.

Haud minus quam Sol manifeſtum eſt, jus, quo Sereniſſima Domina Catharina repræſentavit perſonam & ſexum Domini Infantis Eduardi ſui patris (uti videre eſt in judiciis quę impreſſa fuerunt de ea cauſa) in cujus capite intrat in Regni noſtri ſucceſſionem: Sola arma tua illud obſcurarunt, verum quum avus tuus cœperit mala fide poſſidere, numquam illud vitium emendari potuit in ipſius hæredibus, etiamſi præſcriptio in Regnis locum haberet (quod tamen jura negant) quia ſemper Principes familiæ Brigantinę proteſtati ſunt eo modo quo poterant, & ipſis permittebat metus & reverentia ſubditorum. Extant adhuc litteræ in quibus Rex Philippus ſecundus fatetur ſollicitu-
dinem

dinem ſuam de jure neptis ſuæ,& mandata ad legatos ſuos miſſa, quibus jubebat illi gratulari ſi forte Rex Cardinalis patruus, illam hæredem declaraſſet,uti ſæpe propoſuerat: verum minæ Caſtellanæ perplexum ejus animum permoverunt, ut ſe regi pateretur à familiaris ſui ambitione (qui plurimum plerumque poſſunt) & tam arctæ neceſſitudinis oblivîſceretur, pluſque apud illum poſſet authoritas,quam ratio,& armis(quæ ſemper potentioribus favent) vinci pateretur indubitatum neptis ſuæ jus, & publicam hujus Regni utilitatem. Minus adhuc concedere illud tibi potuerunt quidam Gubernatorum, in illa ſententia, quam cum tot nullitatibus,in alieno territorio, per violentiam, & abque juriſdictione promulgarunt in Ayamontio, oppido Caſtellæ, cum numeroſo exercitu in fronte, qui erat Advocatus hujus cau-

ſæ, & qui denique decidit in tui favorem, Rex Catholice, contra conſtitutiones quas Rex Alfonſus Henricides promulgaverat Lameci, è communi ſententia ordinum; excludendo à ſucceſſione Regni omnes Principes extraneos, & ita vindicando illam indigenis ut numquam tranſire poſſet ad alios: quod jure facere poterant, cum eſſet dominium hæreditarium, diſpoſitum cum iſtis clauſulis, & inſtitutum è bonis, quæ Portugalli armis acquiſiverant è poteſtate infidelium, qui injuſte illud uſurpaverant.

Quum itaque ſis alienigena, Rex Catholice, quomodo potes te pro Rege ferre & non potius juſto Domino reddere? Uſurpare dominia ſemper axioma fuit Tyrannorum: magnus ut ſis, major eris ita faciendo. Invictiſſimus Imperator Carolus V abavus tuus, orbi oſtendit, cadere in animum

magnũ, repudiare magna imperia; ſi propriis renunciavit, quid feciſſet de alienis? Res tuæ poſtulant ut conſerves ſtatus patrimoniales, & non convertere te ad acquirendos alienos: nam ſi hodie te occupaveris in bello tam vicino, quaſi civili & propterea magis ſanguinolento, quomodo ſufficere poteris magis remotis: conaberis conſervare omnia, & forte amittes univerſa. Prudentiæ politicæ eſt tempori ſe accommodare, magis autẽ agnoſcere, divinam iram non aliter placari, quam ſubmittendo ſe iis quæ diſponit. Jam vides ejus gladium contra te nudatum, conſule rebus tuis, non tantum uti Politicus, ſed & uti Chriſtianus, & Caſtellanos tuos reſpice.

Reges fuerunt in Hiſpania prudentiſſimi, qui intellexerunt non convenire, omnia regna tam grandis provinciæ in unam cogi Monarchiam; itaq; diviſerunt illa, & di-

& diverſos Principes cõſtituerunt; fuit ſane tunc multo potentior, quam hodie apparet, contra communes Eccleſiæ inimicos. Tua potentia diſperſa & disjuncta per multas provincias invalidior facta eſt, quia vires diviſæ ſunt, quæ unitæ plus valebant. Pondera tuas, & animadvertes eſſe grandes, ſi limites poſueris ambitioni, quemadmodum Auguſtus & Traianus Imperio, ut perenne facerent. Relinquendo Portugalliam ſuo Regi, invidiæ minus obnoxius eris maximorum Principum, qui tecum de magnitudine contendunt: habebis Reges ſocios & amicos, cum quibus connubia jungant filii tui, & Vaſalli tui Caſtellani refugium habebunt contra intolerabilia onera quibus fatigantur.

Uſque quo, natio imperioſa, tam perverſa patientia tolerabis tam grave jugum? excutere ut quieſcas & te reficias non eſt perfidiæ,

fidiæ, ſed rationis: conſiderate quanti interſit vos eſſe vicinos, non ſodales Portugallorũ. Quandiu hæ nationes vixerunt diviſæ ſub ſuis quęque Principibus, agnoſcebant vos veſtri, quod ſummum eſt Vaſallorum bonum: opus habebant veſtro valore, & pręmiis ornabant: poſt unionem cum Portugallia ſubſidium & interceſſionem filiis veſtris perdidiſtis; Regem Hiſpanum, qui quaſi in domibus veſtris, vos refocillabat, & avertebat verbera Monarchæ unius irati. Hodie vobis idem offerimus, & majori fide, quia credimus vos ad inopiam redactos, miſeros, oppreſſos, ſine gente, pecunia, in ſumma plane perditos; non tamen ſine tributis, neque oneribus, quæ miſeriam veſtram augent, quæ neceſſarium erit brevi duplo augere & vos penitus evertere; dabitis ſanguinem vice lanæ, & non erit modus aut menſura

ſura donativorum, quando vos expoſueritis bello tam injuſto intra muros veſtros: ſi tentaveritis impedire, ne gaudeamus pacifice Principe noſtro novo, digno majoribus regnis, propter ſuas virtutes; ad cujus pedes ſtamus certi (ligati quippe non tantum juramento fidelitatis, ſed & magis arcto vinculo animorum) vitam profundere in illius defenſionem & pro patriæ ſalute: ſemper enim pulchrum pro patria mori: quanto magis, ô Caſtellani, quum nobis milites, pecunia, & auxilia ſuperſint, confidimus Deo, cujus cauſa agitur, nos cum gloria etiam majori huic negotio finem impoſituros, quam orſi ſumus. Veſtra etiam intereſt Reges cognoſcere, quod eſtis, conſiſtere in regendo, non deſtruendo: eſſe vos adminiſtratores Reipub. non Dominos: religionem juris jurandi, obſervantiam Legum, &. conſuetudi-
num,

num, mutuum eſſe contractum, tam Principem, licet ſupremum obligantem quam ſubditos; & quum ipſe fidem fallit, illos non amplius teneri ad obſequium.

Rex Philippus quartus infregit omnia jura noſtra, libertates, privilegia, leges, conſuetudines: violavit juramenta & immunitates Curiarum, imponendo tributa ſine illis aut ulla legitima authoritate, poteſtate abſoluta, opinatus propriam authoritatem, quę revera erat defectus juriſdictionis, contra quam ſemper fecerant Reges hujus Regni; & propter quam cauſam ipſi Regno liberum fuit alium Regem eligere, quemadmodum elegit Principem D. Joannem. Etenim ſi dubitari poſſit immerito de jure hæreditario, quo ſucceſſerit, erit ſaltem Rex electione & declaratione populi, qui fuit primitivus modus quem tenuere Reſpub. in Principibus conſtituen-

tuendis, quum ſe conſervare vellent & defendere contra tyrannos. Quum tot rationes juſtæ, piæ, & utiles toti Chriſtiano orbi, Portugallos permoverint advocare Regem indigenam & legitimum, qui illos tueatur, conſervet & regat, eruatque è calamitatibus, quas tanto tempore tolerarunt: quum Deus demonſtret ſe favere illorum inceptis per tot miracula & omina, quis poteſt dubitare, Beatiſſime Pater, tuum auxilium & benedictionem illis inter principia affuturam, ſiquidem prædeceſſores tui ſemper agnoverunt & prædicarunt primogenitum Eccleſię Romanę Regnum Portugalliæ, & Reges illius indigenæ ſemper fuerunt tam promti ad obſequium præſtandum & colendos Apoſtolos tam Chriſtianos, quales adhuc hodie illos agnoſcunt in Aſia, Africa & America. Det Deus tibi vitam multorum

anno-

annorum, ut unicum refugium eſſe poſſis Sereniſſimi Regis Joannis, quem Deus cumulet felicitate: Anteceſſores tui ſemper fuere benevoli Patres noſtrorum Principum; ſperamus te continuaturum hac occaſione, & numquam defuturum promtiſſimo ad obſequendum mandatis tuis.

Tantumdem ſibi promittit Portugallia à veſtra magnificentia & Majeſtate, ſereniſſimi Europæ Reges, clariſſimæ Reſpublicæ, illuſtriſſimi Principes: cauſa talis eſt quam fas vos omnes tueri: Regnum defatigatum, Rex reſtitutus, ſubit portas veſtras, petens ut actionem tam juſtam probetis; juſtificatio ejus notoria eſt. Si potentia Regis Catholici magna eſt, at Dei eſt majòr, & ſe tam propitiam in hoc actu Portugallis oſtendit, ut non ſolum illos animet, ſed etiam ſecuros faciat: maximi Monarchæ ſocietates & amicitias

hodie Imperatorum, Regum & Principum, atque magnatum in Europa. Offert vobis cor purum, voluntatem firmam, eadem ęqualitate qua majores ſui in amicitia mutuum faciendi. Portus noſtri ſemper veſtri fuere, veſtræ naves illorum gloria & fœcunditas.

Succurrite nobis, Principes, ſiquidem Leo ille, ſub cujus unguibus videtur juſtitia noſtra periclitari, eſt homo mortalis; licet ſit potentiſſimus Rex, non eſt tantus ut poſſit omnia pro arbitrio ſuo agere; Deus quippe ſolus eſt potens, Rex Regum, Sanctus ille, Juſtus, Dominus exercituum, qui denique dat Regna, & impartit victorias pro lubitu ſuo.

Vlyſſippone. Cum Licentia pro Emanuele de Sylva.

ANNO 1641.

& diverſos Principes cõſtituerunt; fuit ſane tunc multo potentior, quam hodie apparet, contra communes Eccleſiæ inimicos. Tua potentia diſperſa. & disjuncta per multas provincias invalidior facta eſt, quia vires diviſæ ſunt, quæ unitæ plus valebant. Pondera tuas, & animadvertes eſſe grandes, ſi limites poſueris ambitioni, quemadmodum Auguſtus & Traianus Imperio, ut perenne facerent. Relinquendo Portugalliam ſuo Regi, invidiæ minus obnoxius eris maximorum Principum, qui tecum de magnitudine contendunt: habebis Reges ſocios & amicos, cum quibus connubia jungant filii tui, & Vaſalli tui Caſtellani refugium habebunt contra intolerabilia onera quibus fatigantur.

Uſque quo, natio imperioſa, tam perverſa patientia tolerabis tam grave jugum? excutere ut quieſcas & te reficias non eſt perfidiæ,

fidiæ, ſed rationis: conſiderate quanti interſit vos eſſe vicinos, non ſodales Portugallorũ. Quandiu hæ nationes vixerunt diviſæ ſub ſuis quęque Principibus, agnoſcebant vos veſtri, quod ſummum eſt Vaſallorum bonum: opus habebant veſtro valore, & prĕmiis ornabant: poſt unionem cum Portugallia ſubſidium & interceſſionem filiis veſtris perdidiſtis; Regem Hiſpanum, qui quaſi in domibus veſtris, vos refocillabat, & avertebat verbera Monarchæ unius irati. Hodie vobis idem offerimus, & majori fide, quia credimus vos ad inopiam redactos, miſeros, oppreſſos, ſine gente, pecunia, in ſumma plane perditos; non tamen ſine tributis, neque oneribus, quæ miſeriam veſtram augent, quæ neceſſarium erit brevi duplo augere & vos penitus evertere; dabitis ſanguinem vice lanæ, & non erit modus aut menſura

ſura donativorum, quando vos expoſueritis bello tam injuſto intra muros veſtros: ſi tentaveritis impedire, ne gaudeamus pacifice Principe noſtro novo, digno majoribus regnis, propter ſuas virtutes; ad cujus pedes ſtamus certi (ligati quippe non tantum juramento fidelitatis, ſed & magis arcto vinculo animorum) vitam profundere in illius defenſionem & pro patriæ ſalute: ſemper enim pulchrum pro patria mori: quanto magis, ô Caſtellani, quum nobis milites, pecunia, & auxilia ſuperſint, confidimus Deo, cujus cauſa agitur, nos cum gloria etiam majori huic negotio finem impoſituros, quam orſi ſumus. Veſtra etiam intereſt Reges cognoſcere, quod eſtis, conſiſtere in regendo, non deſtruendo: eſſe vos adminiſtratores Reipub. non Dominos: religionem juris jurandi, obſervantiam Legum, & conſuetudinum,

num, mutuum eſſe contractum, tam Principem, licet ſupremum obligantem quam ſubditos; & quum ipſe fidem fallit, illos non amplius teneri ad obſequium.

Rex Philippus quartus infregit omnia jura noſtra, libertates, privilegia, leges, conſuetudines: violavit juramenta & immunitates Curiarum, imponendo tributa ſine illis aut ulla legitima authoritate, poteſtate abſoluta, opinatus propriam authoritatem, quę revera erat defectus jurisdictionis, contra quam ſemper fecerant Reges hujus Regni; & propter quam cauſam ipſi Regno liberum fuit alium Regem eligere, quemadmodum elegit Principem D. Joannem. Etenim ſi dubitari poſſit immerito de jure hæreditario, quo ſucceſſerit, erit ſaltem Rex electione & declaratione populi, qui fuit primitivus modus quem tenuere Reſpub. in Principibus conſtituen-

annorum, ut unicum refugium eſſe poſſis Sereniſſimi Regis Joannis, quem Deus cumulet felicitate: Anteceſſores tui ſemper fuere benevoli Patres noſtrorum Principum; ſperamus te continuaturum hac occaſione, & numquam defuturum promtiſſimo ad obſequendum mandatis tuis.

Tantumdem ſibi promittit Portugallia à veſtra magnificentia & Majeſtate, ſereniſſimi Europæ Reges, clariſſimæ Reſpublicæ, illuſtriſſimi Principes: cauſa talis eſt quam fas vos omnes tueri: Regnum defatigatum, Rex reſtitutus, ſubit portas veſtras, petens ut actionem tam juſtam probetis; juſtificatio ejus notoria eſt. Si potentia Regis Catholici magna eſt, at Dei eſt major, & ſe tam propitiam in hoc actu Portugallis oſtendit, ut non ſolum illos animet, ſed etiam ſecuros faciat: maximi Monarchæ ſocietates & amicitias

ſemper metiuntur propria utilitate, & propterea ſuſpectæ ſunt: id experti eſtis in Caſtella, per bella quibus mundum inquietavit. Securitatem & opportunitatem, quam numquam reperiſtis in illius portubus, nunc offerimus in noſtris, commercium liberum, fœdus ſecurum, magnum lucrum & duplam utilitatem, vectigalia diminuta, quæ ſub ſuo dominio intolerabilia mercibus veſtratibus impoſuit: arcebitur omnis oppreſſio à veſtrorum perſonis, quas per injuſtitiam tolerarunt ab ipſius miniſtris, qui non raro leges hoſpitalitatis violarunt, & amicitiæ, cum Sereniſſimis Regibus antiquis Portugalliæ cum coronis veſtris contractæ & multis vinculis ſanguinis firmatæ, atque adeo affinitatum. Habetis Regem amicum, fratrem, ſocium, filium & Dominum familiæ Braganzę, quæ mater & propago fuit omnium
hodie

hodie Imperatorum, Regum & Principum, atque magnatum in Europa. Offert vobis cor purum, voluntatem firmam, eadem ęqualitate qua majores ſui in amicitia mutuum faciendi. Portus noſtri ſemper veſtri fuere, veſtræ naves illorum gloria & fœcunditas.

Succurrite nobis, Principes, ſiquidem Leo ille, ſub cujus unguibus videtur juſtitia noſtra periclitari, eſt homo mortalis; licet ſit potentiſſimus Rex, non eſt tantus ut poſſit omnia pro arbitrio ſuo agere; Deus quippe ſolus eſt potens, Rex Regum, Sanctus ille, Juſtus, Dominus exercituum, qui denique dat Regna, & impartit victorias pro lubitu ſuo.

Vlyſſippone. Cum Licentia pro Emanuele de Sylva.

ANNO 1641.

7.

De Inſula Secatora.

QUanquam hæc Inſula nihil ad Portugalliam attineat, uti in ſuperioribus diximus, tamen quia vulgo haud ſatis nota eſt, pauca hîc in gratiam curioſorum Lectorum adjiciemus.

Diſtat hujus Inſulæ promontorium occidentale à Promontorio Guardafiu quatuor ſupra triginta leucas, & ab extimo cornu Inſulæ Abba del Curia, quæ Maris rubri faucibus injacet, quatuordecim leuc. Eſt autem inter Ortum & Occaſum longa circiter quinque leucas.

Præcipuum ejus oppidum vocatur *Tamerin*, quod diſtat duodecim gradibus & triginta ſcrupulis ab æquatore verſus Arctum (uti ab Anglis obſervatum invenio) ſitum ad radices altorum & confragoſorum montium: habetque ſu-

pra ſe Caſtellum ad Clivium montis ædificatum. Habet & aliud exiguum oppidum ad orientale ſui latus in valle ſitum, & populi infrequens: uti & tertium: illud quidem *Dibnee*, hoc *Delisha* appellatur.

Porro hæc inſula cum Abba del Curia & duabus aliis minoribus, (quas vocant duas Hermanas, ſteriles & incultas) jam ante multos annos ab Arabibus fuit ſubjugata, paretque hodie Regi Cushem, qui juxta Arabiæ oram prope Promontorium Faſtaque incolit, & ut plurimum ſolet huc mittere filium ſuum, ut vice ſua imperet. Unde factum eſt ut jam Inſula incolatur à duabus gentibus multum diverſis, indigenis nimirum & Arabibus. Arabes autem fere ſunt ſervi Principis aut præſidiarii milites, brevibus admodum gladiolis & levi parma merentes: ſtatura corporis ad Europęorum mo-

dum: color illis fuſcus, induſtria modica, mores haud plane inurbani. Veſtitus illorum ad hunc modum ſe habet: tenuiores tantum panno ab umbilico ad genua uſque præcinguntur: paulo opulentiores humeros & magnam corporis partem tegunt: quidam & lineas bracas geſtant: Comam valde promiſſam nodo colligunt: dein Turcarum more operiunt.

Fœminæ illorum colore ſunt magis candido, qualis eſt noſtratium ruſticarum, quas ſol radiis aduſſit: amiciuntur lineis induſiis ab humeris ad plantas uſque pedum; ea autem ſunt partim rubro aut cæruleo, partim fuſco nigrove colore tincta: lineo itidem panno caput tegunt, quo & faciem quum libet velant: nam licet ſatis ſalaces ſint, vix ſe videri ſuſtinent vel potius ſe oſtendere vetantur. Viri in uxores, quas interdum quatuor, interdum quinq; plures ve (prout

eis alendis pares ſunt,) ſolent domum ducere, admodum ſunt liberales, ita ut eas multo argento, interdum & auro decoras videas incedere, etiam tenuioris fortunæ: nam inter opulentiores invenias, quæ duodecim argenteas inaures portent, cum aliquot minoribus annulis ex illis pendentibus: binas quoque non raro catenas argenteas circa collum; ſupra pectus & brachia: digitos itidem ſingulos pene annulis onuſtos; crura denique pluribus cincta; ita ut ægre ſe moveant & magnum ſtrepitum faciant. Mariti admodum zelotypi ſtudioſe eas obſervant. Pueri fere nudi vagantur, pręter magnatum & opulentiorum liberos. Uxores ducunt mature admodum & ubi decimum aut duodecimum ætatis annum attigerint.

Religione ſunt Mahumetani & Muſulmanorum titulo ſupra modum ſe jactant.

Cibum capiunt humi inſidentes ſtoriis quibuſdam; nullus ipſis cultellorum aut cochleariū uſus, digitis rem totam gerunt ſatis inurbane: palam quidem tantum aqua utuntur, clam etiam vino & quidem avidiſſime & ad ebrietatem: id componunt certo anni tempore è dactylis, generoſum & pergrati ſaporis. Atque hæc quidem de Arabibus. Indigenæ, qui ab ipſis dicuntur Caffares, id eſt hæretici aut infideles, duram ſerviunt ſervitutem, ita ut multi ſe ſubripiant in montana, ibique duram & miſeram vitam degant; nulla ipſis arma relicta. Cæterum hi membris ſunt bene compoſitis, ſed colore magis atro quam Arabes advenæ, longa cæſarie & fere hirta.

Præcingunt ſemares panno ab umbilico ad genua; hunc texunt ipſi è caprarum villis, aut etiam lana: plantas ſoleis muniunt. Fœmina-

minarum amictus & ornatus parum admodum diſcrepat ab Arabum fœminis, niſi quod ferreis annulis & vitreis globulis tenuitas fortunæ contentas eſſe jubet: faciem nigris aut flavis notis pingunt, ita formoſiores ſeſe videri autumant. Ethnici ſunt, ſi Arabes audias, & conjugia ignorant, fœminis promiſcue utentes. Multa tamen arguunt, aut Chriſtianos eſſe aut ſaltem aliquando fuiſſe; nam & templa aliquot illis ſuperant & in illis cruces. Idioma illorum ab Arabico plane eſt diverſum, quanquã & arabico uti ſciant.

Victitant valde tenuiter & miſere; neque enim ipſis permittitur animalia necare, quare ut plurimum piſcibus aut dactylis veſcuntur: nonnumquam & gravem famem tolerant, eaque enecantur. Oryzam raro guſtant, niſi forte fœminæ à Guzaratis aliiſque advenis ſeſe proſtituendo aliquid lu-

cri fecerint: pecuarii pene ſolo lacte victitant.

Solum nihil magni momenti producit, præter Sanguinem draconis & præſtantiſſimam Aloen: cujus tanta ibidem copia, ut toti orbi Chriſtiano poſſet ſufficere, ſi diligenter colligeretur: ſiquidem herba è qua exprimitur (Sempervivo, prout à Dioſcoride deſcribitur, per omnia ſimilis) paſſim ſponte provenit: ejus autẽ folia liquore quodam dehiſcunt ſubrubido: colligunt potiſſimum menſe Septembri poſt pluviam: effodiunt ſcrobem, ſternuntque ſilicibus, ei folia conciſa injiciunt, ita ut liquor omnis ab æſtu ſolis eliciatur; hunc collectum pellibus excipiunt, ventoque exponunt donec duritiem acquirat. libra in ipſa inſula venit duodecim, interdum & pluribus aureis.

Dactylos bis quotannis carpunt, conferuntque in publicum horreum,

reum, ut poſtea in tres partes diſtribuantur: quarum una Regi, altera Arabibus, tertia indigenis cedit: qui deinceps inter ſe partiuntur pro cujuſque merito aut neceſſitate: & his, uti dixi, potiſſimum ſe ſuſtentant. Armenta & pecora hîc admodum rara & cara: Bos enim aut vacca venditur duodecim aureis, ovis vel capra uno: pecudum enim copia major quam armentorum: equi hîc omnino pauci, uti & cameli.

Juxta oram maris paucæ arbuſculæ viſuntur quæ goſſypium ferunt: quam plurimi vero frutices ſpinoſi, foliis craſſis rotundiſque, qui fructus ferunt inſtar capparum: ipſi vocant hanc plantam *Eshac.*

Præcipuæ incolarum deliciæ ſunt vinum è palmis effluens: & potus quidam niger & amaricans, quem coquunt cũ bacca quadam inſtar laurinæ, quam Arabia ipſis ſub-

ſubminiſtrat: potum hunc vocant *Coho*; calidum hauſtum capiti & ſtomacho multum prodeſſe credunt Orientalés populi, à quibus illum acceperunt.

8.

De Caſtello S. Georgii quod vulgo dicitur Mina.

Supra pagina 161 obiter fecimus mentionem Caſtelli *S Georgii* quod vulgo vocatur *Mina*: hic autem addendum duximus; illud conſtructum fuiſſe temporibus Joannis II Portugalliæ Regis, nimirum Anno milleſimo quadringenteſimo octuageſimo ſecundo, à Didaco Dazambuia, quem Rex ad illas partes miſerat cum decem caravellis armatis & duabus onerariis, quę lapides & calcem aliumque apparatum vehebant: impetrata venia à Nigritarum Rege Caſamanſe: & tamen Rex Portugalliæ ab eo tempore ſe Dominum

num Guineæ ſcripſit, Caſtelli hujus reſpectu. Porro Belgæ noſtri ſuperioribus annis illud ceperunt, hodieque poſſident.

9.

De Quiloa.

DE Quiloa obiter actum pag. 175. ſed addemus pauca è Ludovico de Marmol Carvaial: Quiloa (inquit) eſt civitas grandis, ædificata ab Alarabibus Perſis, eo loco, quo hodieque viſitur. Munita eſt natura; ambit enim illam pene totam unda marina ad modum peninſulæ. Solum vicinum fœcundum, alens plurimas arbores fructiferas, quemadmodum Europa, & multas herbas: incolæ colligunt oryzam & milium, radices quoque edules: fructus quoque ſilveſtres quibus tenuiores victitant. Habent vaccas, oves, capras, gallinas, palumbes, turtures, & peregrinas avium ſpecies. Quia

autem

autem civitas humili & paluſtri ſolo ſita eſt, inſalubrior habitatio deprehenditur. Ædes ſtructæ barbarica forma, è lapidibus & calce, tecto plano & humilibus cameris. calles ita anguſti, ut facilis ab uno tecto ad alterum ſit tranſitus. Habet arcem ad latus civitatis ſatis munitam, in quo Principis palatium.

10.

De Monboza.

CIvitas Monbaza in parva ejuſdem nominis inſula ſita (inquit *Maffeus*) quam æſtuarium efficit. *Marmol* comparat illam Quiloæ: dicitque peninſulam habere in ambitu circiter quatuor leucas, urbem autem conditam eſſe ad marginem ipſius portus, in receſſu quodam, ita ut ab ingredientibus non conſpiciatur, niſi poſtquã jam ipſum portus oſtium ſubiere; cæterum pulcherrimam

eſſe

eſſe urbem, & natura munitam, ædes illius è lapide & calce ſtructas, ad Hiſpanum modum. Incolæ ſunt Mahumetani.

II.

De Dio.

MAffeus lib. xI. Hiſtor. Indic. de ſtructura Arcis Dienſis ita ſcribit. Annus tum agebatur hujus ſeculi trigeſimus quintus, (ſcripſit autem ſuperiori.) Area dimenſa, confertim ad ſtructuram admotæ manus, non fabris tantum & navali turba, ſed ipſis etiam militibus & præfectis enixe rem adjuvantibus. Triquetra, utpote in promontorium deſinens, loci eſt figura. Jactis fundamentis, ab aperto mari ad interiorem tumulum, è regione oppidi, murus eſt ductus pedum ſeptemdecim craſſitudine, altus ad coronam uſque viginti. In eo tumulo rotunda, ut mos tum erat, ceſpite ingeſto eri-

gitur

gitur ante omnia turris dodrantium nonaginta diametro, Thomæa appellata, quod ejus Apoſtoli feſto die exordium ſumſerat: inde rurſus ad alterum inſulæ marginem continuata mænia ſunt, qua rupes abſciſſæ portum attingunt. ibi turris altera exſtructa diametro dodrantium ſexaginta. Muris foſſa circumdata quoad cautes & pręcipitia tulerunt. Inter duas turres medio ferme ſpatio, portam cum lorica in urbem aperiunt. Intra mœnia ſacellum & Præfecto præſidii, militibuſque tecta militariter excitant. per hunc modum in præſentia duntaxat arx ab urbe interſepta eſt; laterum munitio, quod ea mari alluuntur, in aliud tempus rejecta. *Poſt quadam.* Neque multo poſt, contra omnes belli caſus arx ab utraque parte, qua in mare vergit, muro circumdari cœpta: & è vaſto ſpecu, in quem medio ferme ſpatio tellus receſ-

receſſerat; admodum capax effe-
cta ciſterna; & everſa Rumæpoli, quod ad ejus præſidium copię non ſufficerent, ejus loco novum propugnaculum excitatum eſt.

12.

De Cananore.

MAffæus lib. 2. Rerum Indicar. Cananor urbs abeſt à Cocino leucas in Septentrionem quadraginta; portu imprimis capaci, tutoque. Oryza importatá utuntur incolæ: carne, piſce, pomis abundant: ac præterea pipere, cardamomo, gingibere, tamarindis, cinnamo & myrobalanis: ad eaſque digerendas merces, non exiguo divinæ bonitatis argumento, tellus plurimis conciſa æſtuariis, fluminibuſque navigia uſquequaque facili aditu admittit. Stagna quoque paſſim occurrunt ingentia, grandibus plena lacertis ad Crocodili effigiem; ii tergoris

duritie, conchiliorum inſtar, impenetrabili, enormi capite, duplici dentium ſerie, horrendo prorſus hiatu in hominem furenter invadunt. Eorum halitus oris eſt ſuaviſſimus: &c. Ædificia moreſque quales cæteris malabaribus. Idem lib. tertio. Hinc Almeida Cananorem trajecit; ac ſumma Regis voluntate ad tuenda mercimonia optimo loco arcem exſtruxit, præſidioque communiit.

13.

De Malacca.

DE hac ita noſter *Linſchotanus:* Malacca à Luſitanis habitatur, admixtis indigenis, quos *Malayos* vocant. Hic Luſitani arcem habent ut Mozambici, quæ præfectis ſuis queſtuoſiſſima eſt. Civitas fulget ſede Epiſcopali, ut Cochinum, ſubjicitur tamen Archiepiſcopo Goæ. Hic forum ſive *Stapela* eſt totius Indiæ, Chinæ at-

que

que inſularum quas Moluccas vocant, & aliarum circumjacentium: inde crebræ veniuntium & abeuntium claſſes, mercibus infinitis onuſtæ, è Siam, Pegu, Bengala &c. familiæ hic Portugallorum degunt, verum haud ſupra centum. Cæterum magno mercatorum numero locus colitur, exſpectantium auras opportunas, quas vocant *Monſoyns*, quæ ſuo tempore ſpirant & navigia ad deſtinata loca referunt. Quod autem Luſitani tam exiguo numero hîc reperiantur, aëris intemperies facit; non ſecus indigenis quam peregrinis graviſſima. Inde cunctos ibi moram trahentes morbus invadit, certo ſanitatis tributo, circa cutem aut crines, ut dicitur. Qui vitam ſervat, miraculi veluti fidem implet: ideo à multis hæc plaga vitatur: quæſtus tamen aviditas etiam cum detrimento valetudinis mortales ſtimulat ac peſtilenti oræ admovet.

movet. Opportunitas urbis ſane magna eſt, ideoque à tam numeroſa mercatorum copia petitur. Terra ipſa pro ſe nihil fert, exoticis tantum mercibus clareſcit.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

In

Rerum maximè memorabilium.

Abutua regnum.	174
Academia Conimbricenſis. 92. 357.	
Alagoa.	194
Alcacer oppid.	112
Alentejo provincia.	13
Alfandega.	296
Alfonſus primus R.	201. 219
Alfonſi Henr. R. leges.	126
Alfonſus II. Rex.	202
Alfonſus III. R.	203
Alfonſus IV. R.	204
Alfonſus V. R.	206
Algarbia Regnum.	15. 168
Algarbienſis Epiſcopatus.	355
Almada oppidum.	110
Almerinum.	80
Almoxariſi.	300
Ana fluvius.	17
Angola regnum.	162. 171
Annobon Inſula.	161. 170
Arguin inſul. & arx.	160. 165
Aſores inſula.	155
Avus fluv.	92

B.

Badioza oppid.
Banda inſula. 182
Bazaim. 178
Beira provincia. 14. 105
Bengalæ regnum. 180
Bracara civitas. 9
Bracarenſis Archiepiſc. 101. 349
Braganzæ Ducatus. 374
Braſilia. 191
Brigantinæ domus origo. 279
opes. 317. *Ducis jus ad Regnum Portugall.* 265

C.

Cachieu oppid. 168
Calayatte. 182
Cananor. 178. 457
Capitis virid. Inſul. 180
Caſcais. 75
Catharinæ Franc. R. viduæ jus ad Coronam Portugall. 242
Catharinæ Braganzæ D. jus ad Coronam Portugalliæ. 241. 251. 257
Celandus fluv. 21
Cetuval oppid. 370
Ceylaon arx. 179
Ceylaon Inſula. 187
Chaul. 178. 185
Cherſoneſus aurea. 180

Clerī

Cleri Portugalliæ reditus. 342

Collares oppidum. 75

Congo regnum. 162. 170

Conimbricenſ. Acad. 92

Conſulado. 298

Covilhan oppid. 16. 35

Couto quid ſit. 65

D.

D*Aman.* 177. 185

Dionyſius Rex. 204

Dium arx. 177. 184. 455

Durius Fluv. 20. 29

E.

E*Bora civitas.* 11

Eborenſis Academ. 358

Eborenſis Archiepiſc. 350

Elvas oppidum. 79

Elvenſis Epiſcopat. 354

Emmanuel Rex. 207

Eſtremadura provinc. 14. 107

Eſtula fluv. 2

F.

F*Ayal inſula.* 158

Flores inſul. 158

Fogo inſul. 167

Fontes calidi. 109

Foros das propriedades. 299

Foucal oppid. 155

O.

OLinda urbs. 195
Olyſipponenſis civitas. 65. 375
ejus regimen. 148
Onor. 186
Ora maritima deſcr. 4
Ordines militares. 345
Orichienſis ager. 85
Ormuz. 177. 182

P.

PAlmella oppid. 372
Para arx. 191
Pernambucum. 194
Petrus Rex. 205
Philippus II regnum invadit. 251
Pico Inſula. 158
Poinca. 195
Pontificis R. prætenſio. 243
Portalegrenſis Epiſc. 352
Porto Calvo. 194
Porto Santo Inſula. 154
Portuenſis Epiſc. 101. 350
Portugalliæ limites. 1
deſcriptio ſecus oram. 4
diviſio. 9
plenior deſcriptio. 15
civitates & oppida. 16
montes. 24

inſignia regni.
Portugalliæ regiones. 35
Portugalliæ regni origo. 216
Praya oppidum. 156
Principis Inſula. 161. 169
Proveedores. 153

Q.

Quiloa arx. 164. 175
Quitevæ regnum. 171. 173. 175

R.

Renderi. 148
Ruda oppidum. 116

S.

Sacchari copia. 196
Sacotora inſula. 165. 444
S. Salvador oppidum. 193
Sancius I. Rex. 202
Sancius II. Rex. 203
Santarenum oppid. 10
Sebaſtianus Rex. 209
Sedanda regnum. 173
Seilia fluvius. 24
Sena caſtrum. 172
Septa oppidum. 154
Serinham. 194
Setuval oppid. 5
Sierra Leona. 160. 168

Sini

...adum. 72
... oppidum. 76
Sintra mons. 81
Sofala. 163. 171
Souſarum familia. 277
Stanni fodinæ. 110
Stella mons. 25
Subur fluvius. 24
Sues oppidum. 176

T.

TAgus fluvius. 19. 28
Tanger. 154
Tavilla oppidum. 85
Tellia familia. 278
Tencæ. 294
Tenerife inſula. 155
Tercera. 155
Tete provincia. 172
Theodoſius D. Braganzæ. 33
S. Thomæ inſula. 169
Tomar oppidum. 80
Tranſmontana provinc. 15. 33. 104
Tranſtagana provinc. 13. 100

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

V.

VAcca fluv. 20. 30
Vereadores. 147
Viana oppidum. 4
S. Vincentii inſula. 167

Viſeenſis Epiſcopatus. 351
Vitigeria oppidum. 370

Z.

Z *Eladores.* 148

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINE

G.

Gagates lapis. 115
S. Georgii inſul. 158
S. Georgii Caſtellum. 161. 452
Gracioſa inſul. 158
Guardenſis Epiſcopat. 353

H.

S. Helena inſula. 162
Henricus Portug. Com. 199. 217
Henricus Rex. 209

I.

S. Iacobi inſul. 166
Interamnis provinc. 25. 32. 101
Ioannes I. Rex. 205
Ioannes II. Rex. 207
Ioannes III. Rex. 208
Iuras quid vocent. 294
Ius Brigantiæ Duc. 265
Ius quo Portugalli uſi jam. 265

L.

Lagos oppid. 79
Lamecenſis Epiſc. 351
Leyrenſis Epiſc. 354
Limia fluv. 21
Luſitaniæ Limites. 27
S. Luziæ inſul. 168

Macao

M.

Macao.	181
Machico oppid.	155
Madagaſcar inſul.	165
Madera inſula.	154
Magazaon.	154
Malacca.	180. 458
Manamotapa regnum.	165. 173
Manicæ regnum.	174. 175
S. Mariæ inſula.	157
Marmora Portugall.	110
Maura oppidum.	84
Mayo inſula.	167
Melinde.	176
S. Michaelis inſula.	157
Mina Guineæ.	161
Mirandenſis epiſcopatus.	351
Mocarangua.	171
Molucca inſula.	189
Monbaſa.	175. 454
Moradia.	123. 294
Mozambicum.	165
Munda Fluvius.	20
Myrtilis.	18. 85

N.

Nobilitas Luſitan.	270
Nobilitatis reditus.	271

O.

OLinda urbs. 195
Olyſipponenſis civitas. 65. 375
ejus regimen. 148
Onor. 186
Ora maritima deſcr. 4
Ordines militares. 345
Orichienſis ager. 85
Ormuz. 177. 182

P.

PAlmella oppid. 372
Para arx. 191
Pernambucum. 194
Petrus Rex. 205
Philippus II regnum invadit. 251
Pico Inſula. 158
Poiuca. 195
Pontificis R. prætenſio. 243
Portalegrenſis Epiſc. 352
Porto Calvo. 194
Porto Santo Inſula. 154
Portuenſis Epiſc. 101. 350
Portugalliæ limites. 1
deſcriptio ſecus oram. 4
diviſio. 9
plenior deſcriptio. 13
civitates & oppida. 16
montes. 24

inſignia regni.
Portugalliæ regiones. 35
Portugalliæ regni origo. 216
Praya oppidum. 156
Principis Inſula. 161. 169
Proveedores. 153

Q.

Q Viloa arx. 164. 175
Quiteva regnum. 171. 173. 175

R.

R Enderi. 148
Ruda oppidum. 116

S.

S Acchari copia. 196
Sacotora inſula. 165. 444
S. Salvador oppidum. 193
Sancius I. Rex. 202
Sancius II. Rex. 203
Santarenum oppid. 10
Sebaſtianus Rex. 209
Sedanda regnum. 173
Seilia fluvius. 24
Sena caſtrum. 172
Septa oppidum. 154
Serinham. 194
Setuval oppid. 5
Sierra Leona. 160. 168

[illegible]dum. 72

[illegible]a op[illegible]dum. 76

Sintra mons. 81

Sofala. 163. 171

Souſarum familia. 277

Stanni fodinæ. 110

Stella mons. 25

Subur fluvius. 24

Sues oppidum. 176

T.

TAgus fluvius. 19. 28

Tanger. [illegible]54

Tavilla oppidum. 85

Tellia familia. 278

Tenca. 294

Tenerife inſula. 155

Tercera. 155

Tete provincia. 172

Theodoſius D. Braganzæ. 33

S. Thomæ inſula. 169

Tomar oppidum. 80

Tranſmontana provinc. 15. 33. 104

Tranſtagana provinc. 13. 100

V.

VAcca fluv. 20. 30

Vereadores. 147

Viana oppidum. 4

S. Vincentii inſula. 167

Viſeen-

BIBLIOTECA NA[illegible] RO[illegible] VITTORIO E[illegible]

Viſeenſis Epiſcopatus. 351
Vitigeria oppidum. 370

Z.

Zeladores. 148

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FING

LABOR.